DE
REFORMATIONE BERNENSI.

DISSERTATIO HISTORICA
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
ORDINIS IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT
ET UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS
DIE XIII. MENSIS IUNII ANNI MDCCCLXVIII.
PUBLICE DEFENDET

HERMANN CARDAUNS
RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
MAX MUELLER, STUD. IUR.
JOH. BUSCH, STUD. PHIL.
FR. GORIUS, STUD. IUR.

BONNAE
FORMIS CARTHAUSIANIS.

PARENTIBUS CARISSIMIS.

A. De fontibus librisque de reformatione Bernensi conscriptis.

Inter reformationis Bernensis fontes locum primarium obtinent Bernensium tabulae publicae. Quarum maximam partem M. de Stuerler[1]) cum diligenter tum accuratissime prelis subiiciendam curavit, cum vero nisi quae cum reformatione arctissime cohaererent, in collectionem suam non recepisset, mihi per aliquot hebdomades Bernae versanti nonnulla supplenda visa sunt.[2])

Notatu dignissimi sunt senatus maioris et minoris commentarii[3]) Qui, cum abrupte plerumque conscripti sint, persaepe haud ita facile intelliguntur, ita ut libri, quibus epistolarum a Bernensium civitate ad alios datarum exempla continentur,[4]) magno nobis sint adiumento.

Qui singulis annis circa paschale tempus in senatum lecti magistratumque adepti sunt, in libro qui dicitur paschalis[5]) descriptum est.

---

1) „Quellen zur Gesch. der Kirchenreform in Bern." (Archiv des hist. Vereins des Kantons Bern, III, 1, V, 2.)

2) Praetermittere non possum, quin hoc loco insignia in me merita praedicem virorum clarissimorum de Stuerler, Hidber, Gelpke, Bernensium, nec minus praefectorum bibliothecae S. Gallensis, Lucernensis, Turicensis quorum liberalitate ad fontes prelis non excusos aditus mihi patuit.

3) Bern. Staats-Archiv. Rathsmanuale, tom. 184—214. (RM.)

4) Teusch Missivenbuch, tom. P. et Q. Latein. M. B. tom. H—K. (TMB-LMB.)

5) Osterbuch tom. I.

Epistolae ad Bernensium civitatem datae haud scio an omnes ad nostram aetatem pervenerint. Magna certe pars duobus voluminibus exhibetur inscriptis „Kirchliche Angelegenheiten,"[1]) ex quibus desumpta sunt, quae M. de Stuerler „Reformationsakten" vocat. Idem ex comitiorum Helveticorum actionibus excerpta inscribit „Allgemeine eidgenöss. Abschiede."

Sed ista acta publica quamvis magnum praebeant argumento, quod nunc tractaturi sumus, adiumentum, sunt tamen quae in eis desideres. Si de motus ecclesiastici causis, si de illorum, qui in eo insignes extiterunt, animo ac moribus quaeras, privatae litterae consulendae sunt. Haud negligendae sunt Bertholdi Halleri epistolae,[2]) quocum Zwinglio frequens intercedebat litterarum commercium. Halleri epistolas cum nusquam omnes consignatas invenerim, hoc loco summatim proponere haud alienum fuerit.[3])

22. febr. 1513 Hallerus ad J. W. Egen. (exemplum in coll. Simleriana in bibl. urb. Turic.)
1. sept. 1515 H. ad A. Bolster. (ibid.)
29. dec. 1521 Zwinglius ad H.
28. ian. 1522 H. ad Zwinglium.
8. iul. „ „ „ „
8. apr. 1523 „ „ „
9. Mai „ „ „ „

---

1) Tom. I. u. a. a. 1525, t. II. 1526—1527. (KA.)

2) Epistolarum Hallerum inter atque Zwinglium desunt multae. Inde a. 4. dec. 1523. usque ad 6. Mai. 1525 cessat litterarum officium. Cum Glareano quoque Hallero mutuus epistolarum usus fuit (cf. ep. Halleri ad Zwinglium 4. dec. 1522), multarumque, quas sine dubio Vadianus ad eum dedit, una solummodo mihi nota est.

3) Hallerum inter et Zwinglium datae epistolae excusae sunt in Schuler et Schulthess Zwinglii opp. VII. et VIII., quas dedit Hallerus ad Vadianum, apud „Kuhn Reformatoren Bern's." Quam vero is epistolam anno 1519 scriptam facit, eam 1529 datam esse manifestum est; ep. 19 apr. 1527 data apud Kuhnium deest.

4. dec. 1523 Zwinglius Bertholdo Hallero caeterisque Bernae evangelium praedicantibus.
6. mai 1525 H. ad Zwinglium.
8. aug. „ Oecolampadius ad Hallerum (Bibliandri epp. Oecolamp. et Zwinglii f. 79.)
5. oct. „ H. ad Vadianum (Vadiani epp. coll. in bibl. civica S. Gall.)
29. nov. „ H. ad Zwinglium.
13. iun. 1526 Vadianus ad H. (exemplum in coll. Siml.)
20. iun. 1526 H. ad Vad. (Vad. epp. coll.)
11. iul. „ H. ad Anselmum (Stuerler 571.)
16. oct. „ H. ad Zwinglium.
sub idem tempus Zwinglius ad Hallerum.
6. nov. 1526 Zwinglius ad H.
17. dec. „ H. ad Zwinglium.
24. „ „ H. ad Vadianum (Vad. epp. coll.)
4. ian. 1527 Zwinglius ad H.
exeunte. mart. H. ad Anselmum (Stuerler 582.)
19. apr. 1527 H. ad Vadianum (V. epp. coll.)
25. „ „ H. ad Zwinglium.
28. „ „ Zwinglius ad H. et Franciscum Kolbium.
16. mai. „ H. ad Zwinglium.
22. „ „ Zwinglius fratribus Bernens.
28. „ „ H. ad Anselmum (M. Stettler Schweitzer-chronic I, 668.)
3. iul. „ H. ad Vadianum (V. epp. c.)
4. sept. „ H. ad Zwinglium.
11. oct. „ Zwinglius ad H. et Kolbium.
4. nov. „ H. ad Zwinglium.
19. „ „ „ „ „
26. „ „ „ „ „
2. dec. „ „ „ „
20. „ „ „ „ „

Accedunt aliae quoque epistolae, quas Zwinglius ad Vadianum praesertim, ad Meyerum, Anselmum etc., vel

quas hi ad illum dederunt. Nonnunquam de factionibus quae in urbe sunt nos certiores faciunt, de quibus sane in publicis actis silentium observatur.

Tertius fontium ordo sunt chronica ab eiusdem temporis auctoribus composita. Inter quos longe primus est Valerius Anselmus.[1])

Natus est Rothwilae, in Sueviae oppido, ubi avus eius „Boley der Rüd, genannt Anshelm" pandareti munere functus est,[2]) 1492 Cracoviae baccalaureus,[3]) incerto tempore doctor factus est, 1501 Lugduni versabatur,[4]) 1505 Bernae ludimagistri munus suscepit,[5]) qua in urbe certe ab anno 1520 medici publici offici fungitur.[6]) Inter primos fuit qui Bernae reformationem amplecterentur[7]) sed anno 1525,[8]) ni fallor, Rothwilam petiit, ab eis, qui veterem fidem retinebant, vexatus. Sed ne ibi quidem liber a catholicorum invidia, anno 1528 exeunte Bernam rediit ibique anno sequenti historiographus publicus factus est. Permisit ei senatus tabulas publicas perscrutari, — quod non ita facile illius temporis homini contigit — litterisque commendaticiis ab aliis quoque Helvetiae pagis idem Anselmo impetrabat.[9]) Quo beneficio quam diligenter Anselmus usus sit, documento sunt notae persaepe actis publicis Anselmi manu adiectae.

---

1) Bernerchronik edd. Stierlin et Wyss, VI tom., Bernae 1825—1833. I. p. VII: Valerius Anselmus Ryd. V, 500: Doktor Valerius Ryd.

2) Ans. I. 97. — 3) I, 385. — 4) III, 153.

5) III, 286. — 6) V, 500. — 7) VI, 101.

8) De causa agit ipse Anselmus VI, 208 a. a. 1523. sed cf. RM die Ven. ante Reminisc. 1525: „Min Herrn haben Doktor Valerius für korn und holtz gäben 10 Kronen." Hall. ad Ans. 4. iul. 1526: „Coniuraverant enim Bernates se mansuros apud mandatum tot articulis etiam in tua praesentia congestis." Quod mandatum prodiit 7. apr. 1525. — 9) Ans. edit. praef.

Anselmus erat homo bonae indolis, etiam humanitatis studiis mediocriter imbutus: Quae narrat, mento quoque et intelligentia comprehendit. Bernae, alteri patriae, ex intimo corde favebat, nec tamen isto amore prohibetur, quominus „sapienti senatui" quavis data occasione libentissime quae sentiat profiteatur. Scribendi genere utitur gravi et, ut ita dicam, nervoso, nec tamen iucunditate narrationis legentium animos permulcere omittit. Cum studiose a reformatione staret, in rebus ecclesiasticis non sine praeiudicata quadam opinione loquitur, sed sua sponte eum a vero aberrasse ne suspicari quidem licet.

Usque ad medium fere annum 1525 rebus ipse interfuit, multaque procul dubio ex memoria composuit, maiorem vero operis partem hausit ex tabulis publicis, et recte utrumque prorsus consentire admonuit M. de Stürler. Res gestas per annos notat, singulo quoque anno quae Bernae, in Helvetia, in tota denique Europa memoratu digna accidisse videntur, promiscue neque semper satis ordinate profert, sed elocutionis iucunditas, iudicandi non sine asperitate quadam gravitas atque prudentia, diligentia porro, veritas dignum Anselmum reddunt, cuius opus optimis Helveticae historiae fontibus adscribatur. [1])

Minoris momenti sunt chronica Bullingeri [2]) et Salati.[3]) Henricus Bullinger, antistes Turicensis Hallerique amicissimus, in historia reformationis pauca memoratu digna affert

---

1) Stierlinii et Wyssii editio medio anno 1526 finem facit. Quae desunt, inveniuntur in codice qui extat in bibl. urb. Bern. Fragmenta exemplaris Anselmi manu conscripti et posterioris aetatis exempli — Michaëlem Stettler, qui vixit saec. XVII., scripsisse existimaverim — uno volumine promiscue comprehensa sunt. Nonnulla in utroque inveniuntur, anni 1526 rerum gestarum pauca desunt.

2) Bullinger's Reformationsgeschichte edd. Hottinger et Voegeli, Frauenfeld 1830.

3) De Salato cf. Haller Schweizerbibliothek III, 68.

praeter acta publica quaedam, quae alio quoque loco exstant. Salatum quoque, Lucernensium scriptam publicum, res singulas certe non bene perspectas habere docent litterae adulterinae quas affert Zwinglii ad Franciscum Kolbium, qui anno 1527 Bernae concionator factus est. Quas adulterinas esse licet manifestum esset — anno 1525 datae esse dicuntur, quo quidem anno Kolbius Bernae non erat[1]) — tamen usque ad nostrum tempus velut genuinae usurpatae sunt. Quamquam Salatum ipsum corruptionis auctorem esse vix existimaverim, alio enim loco Kolbium illo anno Bernae fuisse aperte profitetur,[2]) ita ut ignorantiae potius quam malignitati errorem tribuas. Salatus Anselmi dissimillimus est: Ut hic novam, sic ille veterem fidem strenue defendebat, — immo propter libellum, quo pagos reformatos diffamavit, a Lucernensibus carcere multatus est — neque minus vehementer in „novam impietatem" quam ille in „papistas" invehitur, sed acrius quam melius partes suas defendit. Graviter porro irascitur, quod plebis suffragiis contra nobilium voluntatem Bernae reformatio victoria potitur, qui reipublicae bene compositeque ordinandae finis ei videtur.

Inter fontes dicenda sunt etiam acta disputationis Badensis et Bernensis, quae prodierunt 1527 et 1528, deinde acta coloquii[3]) habiti inter Georgium Brunner et parochos quosdam capituli ruralis Muensingensis, denique scripta contumeliosa Nicolai Manuel, poëtae et pictoris Bernensis,[4])

---

1) cf. Kirchhofer Berthold Haller, Nachwort. Zwinglii opp. VII.

2) Exemplum in bibl. urb. Lucern., p. 400 Autographi iinspiciendi non mihi fuit copia.

3) A. Bertholdo Hallero composita sunt, prelis exc. apud Simlerum „Sammlung alter und neuer Urkunden" tom I, p. 464—492.

4) C. Grueneisen Niklaus Manuel appendix.

libelli quidam in disputationem Badensem compositi carminaque Thomae Murner monachi Lucernensis.[1])

Reformationis Bernensis historia a nemine adhuc satis bene pertractata est. I. H. Hottinger „Hist. Eccl. Novi Test." (tom. V sq.) et I. I. Hottinger „Helvet. Kirchengeschichte" summas rerum solum attingunt neque tam diligenter singulas res persequuntur quam a. 1627 M. Stettler, cuius liber qui inscribitur „Schweitzerchronik" Anselmi praesertim narratione nititur. Nec Ruchat „Histoire ecclés. de la Suisse[2])" satis accurate de singulis agit, primusque omnium Scheurer[3]) rerum ubertatem vitis virorum in reformatione Bernensi maxime insignium exponere ausus est. Qui diligentius quam eruditius in opere suo elaboravit, neque probaverim quod Kuhn[4]) commentariorum de reformatorum Bernensium vitis Scheureri opus fundamentum esse voluit. Anno 1828, quo reformationis Bernensis saecularia solemnia tertio celebrata sunt, praeter Kuhnii et Fischeri[5]) opera prodiit etiam M. Kirchhoferi liber haud negligendus „Berthold Haller oder die Reformation von Bern." Diligenter, accurate plerumque, erudite auctor ex fontibus hausit, sed subtilitatem veramque rerum cognitionem in eo desiderabis. Rei publicae negotia cum ecclesiasticis negotiis intime cohaerere non satis bene perspexit, saepe non accurata est enarratio, denique — quod haud spernendum putes — tam negligenter fontes affert, ut singula quaevis recensere difficillimum sit. Qui hunc secutus

1) Ein Uslegen und Erkleren des unfründtlichen unkristlichen und ungesalznen Briefs der Herrschaft zu Bern etc. etc.

2) Genève 127—28. editio nova cura Vullieminii. 1835—38.

3) Bernerisches Mausoleum . . . . von einem Schweizerischen Theologen. 1740—41.

4) Die Reformatoren Bern's im 16. Jahrhundert. 1828.

5) Gesch. der Disputation u. Ref. von Bern.

est C. L. de Haller[1]) propter brevitatem nil novi attulit, Pestalozzii[2]) quoque vita Halleri et brevis est et ad popularem sensum accommodata. Accedunt quae haud negligenda attulerunt Hottinger[3]), Tillier[4]), Hundeshagen.[5]) Minoris momenti est Riffelii „Christl. Kircheng." III.

B. Qui fuerit Bernae ante reformationem rei publicae, litterarum, ecclesiae status.

Pars prima.

Caput I. De pago Bernensi expositio generalis.

Berna, in praecipiti iugo sita, quod, a tribus partibus Arola circumfusum, a flexu fluminis mollius assurgit, ineunte saec. XVI. a 7000 fere hominum incolebatur.[6]) Territorium, a pagi Bernensis, qualis nunc est, magnitudine paulum diversum, circiter centum milia passuum quadratorum explebat: In meridiem orientemque fines fere iidem, in occidentem septentrionemque diversi. Dominium Saanen, hodie ditonis Bernensis, illo tempore sub dominatu comitum de Greyers, cum Berna foedere coniunctum erat.[7]) Dominum

1) Gesch. d. kirchl. Revolution oder protest. Reform des Kantons Bern. Luzern 1836.

2) In „Leben u. Ausgewählte Schriften der Väter u. Begründer der reformirten Kirche." tom IX, 2.

3) Gesch. der Eidgenossen während der Kirchentrennung. Zürich 1825—29.

4) Gesch. d. eidgen. Freistaats Bern. 1838—39.

5) Das Parteiwesen in der Bernischen Landeskirche von 1532—1558, in „Beiträge zur Gesch. der Schweizerisch-reformirten Kirche, zunächst derjenigen des Kantons Bern, ed. Trechsel. 2. Abtheil.

6) cf. Tillier II, 454. Anno 1448 a. 966 patribus familias vectigalia exiguntur. (cf. Archiv III, 3, 79.) 1466 numerantur familiae 1084 cum domiciliis 688 (Jahn, Chronik des Kantons Bern p. 158), 1475 circiter 700 domicilia et 763 viri ad arma utiles (Tillier II, 454,) qui anno 1559 numerum 1034 attingunt. (Archiv, III, 3, 80.)

7) De sequentibus cf. Tillier II, 471 sq. et Jahn, Chronik.

Schwarzenburg a praefectis alternatim per Bernenses et Friburgenses constitutis administrabatur, itemque praefecturae Murten, Grandson, Orbe, nostra aetate Friburgensium Valdensiumque imperio subiectae. Ultra Saane fluvium progressi, fines secundum septentrionalem oram lacus Novioburgensis et flumen Zihl, inde per oram orientalem lacus Bielensis, Zihl et Arolam flumina tendebant. In comitatu Buchegg, qui hodie Salodurensium est, Berna summum iudicium exercebat.[1]) Modo Arolam secuti, modo in dexteram sinistramve ripam transgressi, limites etiam Aargoviae partem comprehendebant, regionem frugum feracem oppidisque plenam. Disiunctae erant a caeteris pagi partibus praefecturae gallicae („die welschen Mandamente") Olon, Bex, Ormont, Aigle, quas gubernator Aquileiae (Aigle) habitans administrabat.

Hoc omne spacium in hasce provincias distribuebatur:[2]) 1) 4 vici prope Bernam in altera parte Arolae siti — Bolligen, Vechigen, Stettlen, Muri, die „vier Kirchspiele" — urbano iudicio subiecti erant. Quos circumdabant 4 praefecturae, quae Landgerichte vocabantur: 2) Zollikofen, 3) Sternenberg, 4) Konolfingen, 5) Seftigen. Limites erant rivulus Zulg, montes qui dicuntur Stockhornkette, Sense, Schwarzwasser, Saane, Arola, Emme. In sinistra Arolae ripa occurrit nobis praefectura 6) Schenkenberg, in dextra — a septentrione deinceps ad meridiem — 7) oppidum Brugg, 8) praefectura Eigen, oppidum et comitatus 9) Lenzburg, oppida 10) Aarau, 11) Zofingen, 12) Aarburg. In

1) De litibus, quas multifariam cum Saloduro Berna de isto comitatu exercebat, cf. „Buchegg, die reichsfreie Herrschaft." Bern 1840.

2) cf. litteras a praefecturis ad Bernenses datas (apud Stuerlerum l. pl.) et Archiv III, 3, 71 sq. Plures praefecturae modo disiunctae, modo coniunctae in actis comparent. De singulis praefecturis cf. Jahn, Chronik.

parte septentrionem intra et orientem sita erant dominium 13) Bipp, 14) praefectura Aarwangen, 15) Wangen; ad fluvium Emme 16) Landshut et 17) Burgdorf; superior vallis cum oppidulo Huttwyl erat praefecturae 18) Trachselwald; longius ad meridiem sita erat praef. 19) Röthenbach.[1]) Septentrionem inter atque occidentem a praef. Sternenberg et Konolfingen usque ad lacum Bielensem et Noviburgensem porrigebatur regio Seeland vocata cum oppidis et comitatibus 20) Erlach, 21) Nidau, 22) Aarberg, 23) Bueren, 24) Laupen. In montana denique regione, quam Berner Oberland vocamus, sitae erant praefecturae 25) Thun 26) Spiez 27) Aeschi, 28) Niedersiebenthal s. Wimmis, 29) Obersiebenthal s. Zweisimmen, 30) Frutigen, 31) Unterseen, 32) Interlaken, 33) Oberhasle.

Inter urbem dictasque provincias ea coniunctio intercedebat ut illa per praefectos[2]) summum imperium exerceret, provinciae contra sua quaeque conditione, foederibus beneficiisque descripta, uterentur. Neque praefecti eadem in omnibus ratione, sed modo a solis Bernensibus, modo a praefecturae incolis, modo ab utrisque constituebantur. Quorum quos Bernenses imponebant, in triennii tempus abibant in praefecturas, sed quovis tempore ad reddendam rationem vocari et munere moveri poterant.[3]) Praefectis commissum erat summi magistratus mandata exsequi, paci publicae consulere, exigere multas et vectigalia, provincialium conventus et iudicia habere. Iurisdictionis administratio neque una erat nec satis certa ac definita. Ius urbanum in totam ditionem propagare conati in difficultates delapsi erant Bernenses,[4]) pluribusque certe in provinciis antiqua

1) Nusquam in albis praef. Röthenbach disiuncta invenitur. Sed cf. Iahn Chronik s. v. Röthenbach et Schweiz. Geschichtsf. X, 308.

2) Diversa erant eorum nomina: Vogt, Gouverneur, Kastlan, Venner, Freiweibel etc.

3) Sic lege constitutum est a. 1487. Ans. I, 437.

4) cf. Tillier I, 494.

iuris dicendi cura a patribus accepta manebat.[1]) Anno 1507 lege sanctum est, ut res leviores[2]) ad praefectos, graviores ad senatum minorem Bernensem deferrentur, quod etiam[3]) atque etiam commendatum persaepe neglectum est, neque ad legitimum iudicem, sed recta ad senatum caussas levissimas deferebant, qui nescio an ipse quoque alienis negotiis sese immiscens perturbationem auxerit. Ipso reformationis tempore de provocatione constitutum est, ut, si quis ab inferiori iudicio provocare vellet, primo ad senatum minorem, deinde ad collegium compositum ex senatu minori et 60 iudicibus e senatu maiori desumptis, postremo ad universum senatum maiorem litem deferret.[4])

Oppida a praefectorum iurisdictione libera erant suasque ipsa res administrabant. Quodsi ager cum oppido quodam in praefecturam coniunctus parvus erat, oppidi scultetus etiam in agrum exercebat iurisdictionem, si magnus, Bernenses suum quoque praefectum collocabant.[5])

Etiam dynastarum privilegiis praefectorum iurisdictio minuebatur. Quorum nonnulli vel summum in territoriis suis iudicium retinuerant, quamquam in litibus, quae anno 1471 factae sunt, — quae appellantur Twingherrnstreit[6]) — multa dynastarum iura urbs sibi vindicaverat.

1) Ibid. cf. Iahn Chronik, s. v. Emmenthal, Simmenthal.

2) Ans. III, 368. „Erb, Eigen, Frevel, Schulden." „vnd nit für unsern kleinen Rath tryben, dann mit erkannter Appellation und Vertröstung Kostens vnd St. Vincenzen (zum Bau der Münsterkirche) einen Gulden."

3) 1512, 1525. Ans. IV, 340. VI, 347.

4) RM 2. apr. 1526. Tria ista collegia in sequentibus hisce denotabuntur signis: R, R & LX, R & B.

5) Unum Burgdorf oppidum multos vicos per suos praefectos administrabat. cf. Iahn Chronik s. v. Burgdorf.

6) cf. Thüring Frickard's, Stadtschreibers zu Bern, Beschreibung des Twingherrnstreits. ed. Em. Rodt.

Simili, qua dynastae, ditionis Bernensis 16 coenobia conditione utebantur.

Agricultura et re pecuaria praesertim Bernenses alebantur. Ad lacum Thunensem vites coluntur, quarum fructus devehuntur Arola. Frumenta non ultra necessarium terra producit, neque solum anno 1517 summus magistratus frumenti exportationi intercedit, quo propter sterilitatem et calamitatem angustiores fruges provenerant et aliunde frumenta coëmebantur. Iterum atque iterum feruntur leges, ne, priusquam in publicum venirent mercatum, frumenta coëmerentur — quod Vorkauf, Fürkauf vocatur — neque nisi sub certis conditionibus coenobiis frumenta vendere licet. Magnis mercaturae faciendae itineribus ager Bernensis non attingitur, Arolam rapido cursu multisque flexibus fluentem vix naviculae ratesque devehuntur. Nec satis magna municipiola sunt, quae negociationibus adeo pollerent, et mercatus priori tempore Genevae habitus, sed inde ab anno 1484 Lugdunum translatus magnum mercatoribus Bernensibus incommodum attulerat.[1])

Superioris regionis incolae — quam Berner Oberland vocamus — si non rerum affluentia, modicis tamen copiis utuntur.[2]) In vallibus a lacu Thunensi et Brientino ascendentibus gens rusticorum habitat aspera, fortis, locuples, vita, moribus, libertate Subsilvanis propior. Oberhaslenses, qui Arolae vallem superiorem tenent, vicinorum more quotannis coetus celebrant, suos ipsi eligunt magistratus, proprio sigillo et vexillo utuntur.[3]) Peioris conditionis aliae illo tempore provinciae fuisse videntur; ne servitus quidem prorsus sublata est.[4])

---

1) Ans. I, p. 362.
2) cf. Ans. III, 282.
3) Jahn s. v. Oberhasle.
4) cf. Tillier II, 488. III, 451.

Quod non inhumanitate Bernensium factum est, quorum etiam intererat, ut servi propriis beneficiis muniti ac, ni fallor, vel a militia liberi, praesertim qui in coenobiorum praediis habitarent, in liberorum statum redigerentur.[1]) Sed licet magistratus, ut ad propositi finem perveniret, vel vim adhiberet servisque, ni dato pretio libertatem redimerent, commoda communia, velut agri compascui usum, se adempturum minaretur, tamen ne XVI. quidem saeculo negotium perfectum erat[2]) et sub ipsum reformationis tempus cessasse videtur.[3])

Etsi Bernensium imperium, si in universum spectes, mite humanumque fuisse negari non potest, tamen non iam illa quae antea intercedebat urbem inter et agrum amicitia. Cuius rei caussa praecipua erant continua mercenaria bella et annua beneficia, quae multi ab alienis principibus accipiebant. Ne rusticorum mercedis bellique cupiditatem probes, graviori tamen vituperatione dignus videtur magistratus, qui, pretio corruptus, quod malum esse agnovit, dedignatur omittere. Iam anno 1513 propter amicitias, quas cum Francogallis magistratus colebat, rustici rebellaverunt optimeque seditione usi sunt, ut immunitates et alia iura urbanis extorquerent.[4]) Postremo inter rusticos et urbanos pactio facta est, cuius artic. 2. magistratus se cum alienis principibus pacturum amplius negavit, nisi ditionis consensus accederet.[5]) In aliis quoque gravioribus magnique periculi negotiis magistratus, priusquam in suffragia iret, imperio suo subiectos

---

1) Ans. a. a. 1486: „Dass alle die, so eigen Lüt sind und weder Tell — Steuer — noch Reiskosten gabent, in Jahrszil uss ihr Stadt, Landen und Gebieten ziechint."

2) 13. mai. 1524 an neun Aemter im Aargau T M B P. 255a.

3) cf. Flückiger, Gesch. des Amtes Aarwangen (Archiv I, 147, 165.)

4) Ans. IV, 441: „Da wurden Fryheiten geheischen vnd geben, die gutem gemeinem Regiment unlydlich vnd verderblich, als der fry kouf vnd verkauf, Anken, Salz, Korntusch; Aendrung der Gewicht; gebner Ordnungen vnd Oberkeiten Absatzung oder Fryung."

5) De hac seditione quae dicitur „Koenicensis" cf. Tillier III, 83 sq.

sententiam rogabat. Responsa aut per litteras aut coetu legatorum in urbe habito dabantur. Quamquam praefecturis saepe aut consilium deerat aut animus, ut libere, quae sentirent, profiterentur, saequeque se totum negotium „sapientium generosissimorumque dominorum" prudentiae committere responderent, unanime tamen totius ditionis iudicium vel modestissime prolatum non potuit finem non consequi, et quod magistratus reformationis tempore non semel praefecturas sententiam rogavit, ad reformationis cursum retardandum multum valuit.

Caput II. De rerum urbanarum administratione.

Iam transeamus ad reipublicae in ipsa urbe statum considerandum. Res publica in collegiis — Zünfte, Gesellschaften, Stuben — posita erat. Quantopere priori aetate in eo elaboratum esset, ut prohiberetur, quominus collegia reipublicae administrandae partem sibi vindicarent, idem tamen Bernae quod in caeteris Germaniae urbibus evenit. Licet, ut in collegium aliquod reciperetur, c o g i nemo posset, propter beneficia tamen in ea collata haud facile quisquam sodalitiis abstinebat. Societates, quae a magistris — Stubenmeister — regebantur, de sodalium vitiis levioribus quibusdam iudicium exercebant. Ex earum indicibus uterque senatus iudicesque urbani, et bello exorto pro ratis partibus milites deligebantur, ita tamen, ut sodalium universitas partem saltem aliquam impensarum — Reisgeld, Reiskosten — conferret. Collegiorum non idem semper numerus: 1512 sedecim erant: 1) ad scurram sive ad carduelem, — Distelzwang sive Distelfink — ubi multi nobilium degebant 2) ad simiam, artifices magna ex parte. 3) ad lanios 4) ad coriarios superiores — Obergerber — 5) ad c. inferiores 6) ad c. medios s. ad rubrum leonem 7) ad sutores 8) ad vinitores 9) ad pistores superiores 10) inferiores 11) ad fabros ferrarios 12) ad textores 13) ad fabros lignarios 14) ad Aethiopem — zum Mohren, sartores et lanarii — 15) ad mercatores

16) ad navigatores.[1]) In albo quodam anno 1499 conscripto hisce sedecim etiam iaculatorum collegium accedit,[2]) anno 1527 collegia viginti sunt, laniis, sutoribus, fabris ferrariis in binas societates divisis.[3])

Non semper eiusdem artificii s. opificii sodales eodem collegio continentur, e. g. apud coriarios superiores Nicolaus Manuel et Bertholdus Haller, ut Argentorati balvinus apud sartores, inscripti erant.[4])

Mercatura non ita magna Bernenses utebantur, fere sola familia May[5]) maioribus mercationibus quaestum faciebat, exiguus mercatorum erat numerus.[6]) Sed fabrorum ferrariorum, pistorum, laniorum florebant opificia.[7]) Coriarii, quorum societas omnium maxima erat, per Rhenum praesertim mercatum faciebant, et bis quotannis in mercatum Zurzacensem devehebantur, ubi etiam anno 1592 „domus Bernensis“ erat. Ad „rubrum leonem“ nobilium multi erant adscripti, multique ex tribus coriariorum societatibus in senatu locum tenebant.[8])

Ex quattuor hisce maximis sotietatibus — divisionis in ea re nulla habetur ratio — singuli quattuor Pandaretorum — Venner — eligebantur. Quae lex, aliquamdiu[9]) oblivioni data, reformationis tempore procul dubio valebat,[1]) sed re vera saepe fraus ei fiebat. Statim post legem latam multi

---

2) Schweiz. Gesch. Forscher I, 195. cf. Tillier II, 455.

2) Archiv III, 3, 69.

3) Osterbuch a. a. 1527. — a. a. 1526 eadem collegia nobis occurrunt, uni coriarii superiores desunt, quod scribae publici errori tribuas. Hallerus contra (ad Zwinglium 26. nov. 1527) 16 collegia esse dicit.

4) Berner Taschenbuch a. a. 1863, p. 93.

5) Princeps erat Bartholomaeus May, filius eius Claudius s. Glado, uterque reformationis amicus.

6) Lauterburg „Die Gesellschaft von Kaufleuten in Bern,“ Bern. Tasch. B. a. a. 1862.

7) cf. Archiv III, 3, 69. Geschichtsforscher I, 195.

8) Bern. Tasch. B. a. a. 1863 loc. plur.

9) cf. Ans. I, 80 a. a. 1438.

nobilium in „pandaretorum societates“ — Vennerstuben — assumpti sunt, et certe sodales collegii ad scurram, si non caeterorum quoque, id iuris habebant, ut in duabus simul societatibus essent.[2])

Quae viginti collegia inaequaliter in quattuor vicos ex quattuor maximis sodalitiis denominatos distribuebantur, quibus praeerant pandareti publicae disciplinae et securitatis curam gerentes. Pandareti, quorum antiquitus officium in re militari, ni fallor, versabatur — Bannerträger — XVI. saec. varii generis muneribus fungebantur. In senatu minori locum tenent, uterque senatus eligendus eis commissus est, quattuor praefecturas, quae Landgerichte vocantur, per magistratus minores, qui dicuntur Freiweibel, administrandas curant, saepe exercitui adsunt, postremo „in re militari cum consule, in cura aerarii cum quaestore — Seckelmeister, — in aedificationibus cum aedili et deliberant et de rebus non ita exiguis decernunt.“[3])

Singuli quotannis magistratu se abdicant novusque sub paschale tempus a senatu maiori sufficitur, ita ut per quattuor annos maneat potestas.[4]) Pandaretorum uno in obeundo munere mortuo proxima electionis die duo eliguntur, sequenti anno electio omittitur. Saepe post quadriennii spacium interiectum, vel, si extra ordinem locus vacat, etiam ante id tempus exactum iterum pandareti eliguntur.[5])

Senatus maior promiscue ex omnibus collegiis desumptus summum urbis agrique imperium tenet. Soli cum alie-

---

1) B. Tasch. B. a. a. 1863, p. 83. cf. Ans. IV, 340.

2) Ans. I, 80. cf. B. T. B. a. a. 1863. p. 11.

3) B. T, B. a. a. 1863 p. 5.

4) Series pandaretorum: 1523—1524: Hans Isenschmied, Krauchthaler, Kuttler, Stuerler (electi 1520, 21, 22, 23.) 1524 electi: de Wingarten, Spielmann. 1525: Nemo. 1526: Willading. 1527: Bischoff.

5) Sic Caspar Wyler pandareti munere fungitur: 1499—1503. 1507—1511, deinde, post Rudolfum Baumgarter loco motum 3. iul. 1513—1519. Rud. Baumgarter iterum 1519—1523.

nis principibus pactiones facere licet, omnes eligit magistratus,[1]) quorum maximam partem pandareti commendant, sancit leges, quibus et urbs et ager obligatur, in litibus omnibus ad eum velut ad summum iudicium provocari potest, omnia, quae minor senatus decrevit, irrita reddere in eius potestate situm est.

Ex eo, qui primitus eorum munerus fuit, ii, qui — praeter minoris senatus sodales — in senatu maiori locum tenent, ducenti — etiam cives — appellantur, quamquam nonnunquam trecentos numerus excedit. Anno 1526 est hominum 255,[2]) in quo numero paene omnes fuisse crediderim, qui ex mille fere viris adultis de republica iudicium ferre possent. Praeter maiorem senatum universitas civium nullam habet rei publicae regendae partem. Hunc solum in finem convocatur, ut aut antiqua foedera aut nova decreta iuramento confirmet, non vero ius habet intercedendi.

In pleno senatus maioris conventu senatores et cives eodem iure ac suffragio utuntur, neque est minoris senatus contra maiorem suam ac propriam potestatem exercere. Quod nihilominus reformationis tempore senatores liberi magistratus personam gerunt, quod sub popularis rei publiae specie civitatis administratio in gentium nobilium ac paene in paucorum potestatem concessit, et in universa civitatis Bernensis conditione et in certis legum institutis situm est.

Senatus maior modo pluribus deinceps diebus, modo perplures hebdomadas ne semel quidem convocatur: minor quotidie — nonnunquam vel iterum eodem die — exceptis Solis Martisque diebus congreditur. Urbanae primum res eius curae commissae sunt, quibus tractandis anno 1522 dies Veneris constitutus est,[3]) in urbi iudicium habet exceptis rebus levissimis,

1) Eliguntur circa paschale tempus.

2) Osterb, a. a. 1526.

3) Ans. VI, 177.

quae ad proprium, urbanum iudicium deferuntur[1]), in agrum administrandi, legum exsequendarum, iudicandi in rebus gravioribus potestatem habet, cum alienis principibus de rebus haud ita exiguis per litteras legatosque agit, in litteris publicis, quarum cura scribae publico in incertum tempus electo commissa est, raro iuxta consulem senatumque[2]) ducenti quoque apparent. Senatus maioris numerus incertus, minor semper est sodalium 28, qui sunt consul, quaestor, quattuor paudareti, denique 22 senatores, quorum 4 „Heimlicher“ appellantur, et quidem duo „de senatoribus“ duo „de civibus“ — von Räthen, von Burgern. — In senatu, qui genere, divitiis, potestate pollent, conveniunt, nobiles praesertim in eo locum tenent, cives urbani iidemque magnorum praediorum possessores, gentes a Muelinen, a Stein, a Diesbach, ab Erlach, a Wattenwyl etc. Alternis conubiis nobilium familiarum coniunctio firmatur.[3]) Quamquam nobiles non sunt ordo certis in republica regenda privilegiis munitus, sed propter totam conditionem et propter fortitudinem ac prudentiam haud immerito auctoritas eorum valet. Raro in senatu mutationes fiunt, et quod anno 1513 plures propter senectutem senatu moventur, multis improbatur.[4]) Pandareti quoque cum e senatorum numero sumuntur persaepe tum exacto munere in senatu plerumque remanent, ita ut praeter eorum, qui Heimlicher von Burgern vocabantur, vix ulla fiat annua mutatio. Consules, qui 1474—1526 uno excepto omnes nobili genere nati sunt, e senatorum ordine eligi solent. Praesident in utroque senatu; munus duorum annorum est,[5]) sed

---

1) Cf. Tillier II, 462. Iudicium urbanum 1503 erat 12 „proborum hominum.“ Accedebant senator unus et cives 5 cf. Ans. III, 257.

2) In sequentibus si breviter „senatus“ mentio fiet, senatus minor intelligetur.

3) Stemma gentis a Diesbach, Schw. Gesch. F. VIII.

4) Ans. IV, 340.

5) Inde ab a. 1507, Ans. III, 368. Joh. Jac. a Wattenwyl (electus

post bienii spacium iterum eligi solent, et si in obeundo munere consul moritur, successor eius vel ultra biennii tempus locum tenere potest. Quaestor, cui tota aerarii cura, illo tempore bene ordinata, commissa erat, in incertum tempus eligitur.[1] Sic Leonhardus Huebsche 1512 electus, post perfectam demum reformationem sua sponte munere se abdicavit.[2]

Sed dicat aliquis, manifestum esse, pandaretos et illos, qui Heimlicher von Burgern vocantur, a civibus senatoribus dari custodes, ne senatus nimiam sibi vindicaret potestatam. Rectum id quidem, sed ipsa electione etiam senatus et potestatis eius consortes fuint nec suspicandum est, ut, si civium, a quibus electi sunt, commodum postulet, collegarum semper voluntati sese opponant, pandareti praesertim, qui per quadriennium vel etiam amplius in eo collegio rema-

---

1521) 1522 confirmatur: „aldann min her Schulthes v. Wattenwyl noch Ein Jar am Schulthesnamt zu dienen hat." RM.

1) Bis quotannis, circa dies festos S. Joh. Bapt. et S. Stephani, rationem coram senatu maiori reddebat. Cf. duas semestris spacii rationes Archiv II, 217.

Rationes annorum 1524—27 (RM.)

Acceptum cum residuo		Imponsum	Resid.	Plus	Minus
6. ian. 1524	9446 ℔	7828 ℔	1618 ℔		
27. iun. „	11825 „	8661 „	3174 „	1556	
26. dec. „	10747 „	10342 „	405 „		2769
25. iun. 1525	11019 „	6945 „	4073 „	3668	
23. dec. „	11797 „	9925 „	1872 „		3799
25. iun. 1526	11099 „	7888 „	3211 „	1339	
26. dec. „	13893 „	13709 „	94 „		3107
28. iun. 1527	12695 „	8767 „	3917 „	3823	

saec. XVI. Bernae florenus aequat 2 ℔ = 40 Schilling = 480 Pfennig 1500 (Archiv III, 275) 10 flor. rhen. aequant 20 ℔ 6 Sch. 8 Pf. — 1498 vero (cf. Mone Beiträge zur Gesch. des Oberrheins VI, 299) flor. rhen. aequat nostrae monetde flor. 2 xr. 57. Itaque:

1 flor. Bern. = 2 fl. 53,76 xr.
1 ℔ „ = 1 „ 26,88 „
1 schill. „ = 4,344 „

2) Ans. IV. 340 et Schweiz. Gesch. F. X, 309.

nent. Ita qui civium gladius contra senatum nimis potentem esse debebat, ipsius senatus clypeus potuit fieri, ut Romae quondam tribuni plebis in senatus partes transierunt.[1])

Maxime vero senatus potestas proprio ac singulari modo nititur, quo in utroque senatu legendo Bernenses utuntur. Electores sunt 4 pandareti cum 16 e civibus. Quorum ni fallor octoni quotannis abdicabant, novi a pandaretis secundum libitum cooptati esse videntur. In coena domini 20 electores conveniunt senatum maiorem lecturi, et id quidem praesentibus senatoribus, qui antea certe non solum interfuisse electioni, sed vel partem eius habuisse videntur.[2]) Altero die paschae iterum electores conveniunt[3]) senatum minorem lecturi, utrum soli, an iterum praesentibus senatoribus, in dubio relinquendum est. Sequenti denique die universus senatus rem ratam esse iubet, reiicere vero electos, senatores certe, non potest.[4])

---

1) Cum 30 post reformationem annis Bernatibus de expugnato Valdensi comitatu cum duce Sabaudiae discordiae essent, ipsi pandareti et Heimlicher senatum adiuverunt, ut contra civium voluntatem propositum perageret. cf. Samuel Zehnder's Chronik ed. Studer, Archiv V, 25. 2) Osterbuch.

3) Priori tempore non licuit pandaretis, ex suis societatibus plus singulis, ex ulla plus binis eligere. Postea, collegiorum numero ad 12 reducto, e pandaretorum collegiis bini, ex caeteris singuli eligebantur. Reformationis contra tempore non videtur certa pandaretis norma sequenda fuisse. Quae sequitur tabula e libro paschali anni 1526 desumpta documento sit:

vicus	I.	societates.	8.	electores	6.	in senatum mai. electi	82.
„	II.	„	7.	„	8.	„	89.
„	III.	„	2.	„	1.	„	35.
„	IV.	„	3.	„	1.	„	49.

2) Ans. – cf. Stürler, Die Gesellschaft von Obergerberen, Bern. T. B. a. a. 1863, exordium

3) Stürler l. c. p. 5 existimare videtur, duplex fuisse electorum collegium. cf. RM. Osterbuch.

4) Osterb. „So ist diss der klein Rat durch die Vänner vnd Sechsszechen am Ostermontag erwöllt vnd durch den grossen Rat am Osterzinstag bestätiget.“ Inde ab a. 1524 haec formula omittitur. cf. Halle-

Confirmare etiam invitus debet, nec quidquam reliqui habet nisi ut novum pandaretum et duos „Heimlicher von Burgern“ eligat, duos „von Räthen“ designet.

Ex eis quae diximus apparet, quanto exortis discordiis senatus civibus fuerit superior, quanta fuerit in hoc collegio potestas, cui et secrete deliberare et per hebdomadas cives ne semel quidem convocare liceret, quantum valuerit celeritate agendi et unitate, quantum potuerit proficere auctoritas eius inter cives, in tot hominum multitudine, quantum in eligendis magistratibus et utroque senatu, simulatque ei contigit, ut pandaretos in suas partes traduceret.

Quamquam non ita difficile fuit civibus senatorum oppositioni finem imponere: Mutare solum opus erat usitatam eligendi rationem. Si viginti electoribus erepta erat absoluta potestas, si maior senatus, quae species adhuc fuerat, eam veritatem esse, si sui iuris esse voluerat et reiicere ab electoribus designatos et novos legere: Facile suas partes sequentes in utroque senatu collocare potuit. Strenue feliciterque senatores civibus in reformationis partes transgressis restiterunt victoriamque eorum quamquam non prohibuerunt, retardaverunt tamen, donec ratione eligendi illo quem supra indicavimus modo mutata et sublata est eorum auctoritas et conquieverunt veteris fidei retinendae studia.

Caput III. Quae ratio intercesserit Bernam inter et confoederationem Helveticam terrasque externas.

Plurimum illo tempore vel ultra Helvetiae fines valebat Bernensium auctoritas. Confoederatio Helvetica tunc 13 pagorum — Orte — erat: 1) octo veterum: Uria, Suitia, Subsilvania, Lucerna, Tugium, Glarona, Turicum, Berna. 2) Quinque novorum: Scaphusia, Friburgum, Salodurum, Basilea,

---

rus ad Zwingl. 25 apr. 1527. Ad viginti annos quattuor pandareti cum sedecim e civibus senatum minorem elegerunt, ea tamen conditione, ut per eos delectos civium turma (h. e. senatus maior) non haberet abiicere.

Abbatis Cella. Accedebant sociae civitates — zugewandte Orte — St. Gallum, Muehlhusia — inde ab a. 1515 — Rothwila — 1519 — oppidulum Biel, comitatus Neuenburg, tria Rhaetiae superioris foedera [1]) — drei Bünde von Hohenräthien, Graubündten, — s. Grisonia, Vallesia, quae tunc sub principe episcopo Sedunensi erat, denique episcopus Constantiensis. Vallis Rheni inde ab a. 1490 commune Turici, Glaronae, Suitiae, Lucernae dominium erat. [2]) Post bellum cum Maximiliano I. finitum (1499) Thurgovia sub veterum pagorum imperio erat una Berna excepta, quae cum Friburgo Saloduroque iudicii in Thurgovia, non vero praefecturae partem habebat. [3]) Inter Bernam, Friburgum, Salodurum, vicinas civitates, inde ab a. 1517 angustior societas, quae dicebatur Burgrecht, intercedebat, in quam anno sequenti etiam Vesontio recepta est. [4])

Confoederatio Helvetica, quamquam per plura saecula in secundis et adversis rebus coniuncta, intestinis discordiis minime carebat. Foedus aequum necessitate contractum grave eis pagis fieri oportebat, qui magnitudine, incolarum numero, potentia caeteros anteirent. Itaque ab altera parte stant antiquissimi pagi: Uria Suitia, Subsilvania, quibus Lucerna et Tugium adiungebantur, ab altera urbes: Berna, Turicum, Basilea commercio et scientiarum flore insignis.

Sed neque intestinae discordiae neque quae inde ab initio fuerat soluta foederis forma obstabant, quominus tanta esset tunc Helvetiae inter Europae civitates auctoritas, quantam nunquam exinde, licet terris hominibusque aucta, aequiparavit. Opportunus erat temporum status: Dissolutum Germaniae regnum in Helvetia, quae re minus quam nomine pars eius erat, auctoritatem suam interponere nequibat, Austria Turcarum perpetuis terrebatur incursionibus, Italiae

---

1) v. Anselm. a. a. 1515. 1519. 1497.

2) ibid. a. a. 1490.

3) cf. Hottinger „Gesch. d. Eidg. währ. der Ref." appendix

4) V. Ans. a. a. 1517.

in multas civitates distractae semper Francogallorum cupiditas minabatur, mutua omnes invidia conflagrabant. Cum continua bella essent, ex Helvetia, in mediis civitatibus bellum gerentibus sita, bellica laude insigni, semper ad bella parata, milites conquirebantur. Sic, quod Helvetiorum comitia decreverant, bella movere poterat, bella sedare. Innumeri patriam relinquunt sub alieno vexillo pro commodis alienis vitam immolaturi, pretiosum sane pro ingentibus illis stipendiis beneficiisque pretium. In Helvetiorum comitiis pontificis imperatoris, Venetiae Sabaudiae, Angliae Francogalliae legati conveniunt, viri apud quos summa rerum in singulis pagis est, honoribus, adulationibus, auro cumulantur. Sed lumini non desunt umbrae: Dummodo honores pecuniasque adipiscantur, proditionem non aspernantur mercenariorum duces, paucorum divitiis vetus concordia multorumque modicae res debilitantur, ab alieno cultu politiorique humanitate pristina probitas bonique mores, a perfidiis factionumque furoribus recti honestique studium recedit. Helvetia, cum ab imperio Germanico iam dudum abalienata esset, bello cum Maximiliano I. gesto prorsus disiuncta est. Quamquam in omnibus pactionibus cum alienis principibus ictis simulatam illam conditionem legis, qua contra imperatorem imperiumque factum esse negatur: Magis magisque tamen Helvetii in Francogallorum malos dolos irretiuntur. Inter Helvetios et lancearios Germanicos odium fervebat militari aemulatione auctum, „dass da, so „hie Oesterrych“ „hie Schwytz“ erlöschen war, „hie Lantz, hie Schwytz“ zu unufhörender Fiendtschaft entzündt ist.“[1])

Singulis prope annis sive ab omnibus pagis sive ab uno alterove decretum est „der fremden Herren müssig zu gehen“, murmurabant rustici de „Francogallis, carnificibus, pensionariis,“ qui cives hostibus, trucidandos obiicerent quietemque darent agris, sed proximus annus cum novo auro bellum novum ferebat. Quid mirum, quod, quo-

---

1) Ans. I, 212.

tiescunque famosorum illorum ducum aliquis tympanum pulsari iubebat, vel contra magistratuum certam voluntatem undique turmae sanguinis praedaeque cupidi confluebant? Helvetiorum mores dissoluta militari vita tristem in modum depravati sunt, crudelitas, cupiditas praedandi, flagitia horrendum in modum crescebant, praesertim immanes illae catervae, quas Freiharste vocabant, male audiebant, contra quas frustra comitia magistratusque interponebant auctoritatem.

In tota confoederatione et in singulis pagis discordiae movebantur. Nec solum pauperes divites illos, quos „Kronenfresser“ et „Tripelsöldner“ dicebant, invidia prosequebantur, sed in ipsis quoque magistratibus a Francogallis alii, alii ab imperatore et pontifice stabant. Imperialium princeps per multum temporis erat Mathias Schinner, cardinalis purpuratus et princeps episcopus Sedunensis, homo obscuro loco natus, sed summo ingenio summaque fortitudine praeditus, strenuus in agendo, quotiescumque imperatoris vel pontificis commoda a Francogallorum dolis defendenda erant. Qui cum in conclavi post Leonis X. mortem habito mortuus esset, inimici velut de magna victoria triumpharunt. [1])

Bernae gentes a Diesbach et a Stein quam maxime Francogallorum partibus favebant. Anno 1515 cum Helvetiorum milites — haud scio an sine proditione id factum sit — gravi ad Merinianum proelio victi essent, „non sine caussa“ homines confabulatos esse narrat [2]) Anselmus; „der Küng hätte noch in der Eydgnossschaft 30 brennender Kerzen, zu Bern die grösste, die ihm nüt liess nit beschehen.“ Nimirum exploratum Franciscus habebat, quonam modo „faces“ arderent: Anno 1516 Albertus a Stein, eques Bernensis antea aere alieno obrutus, post expedi-

1) Ans VI, 174.

2) Ans. V, 148.

tionem Italicam 10000 coronatorum annuumque stipendium 1400 francorum domum reportavit, Lud. vero ab Erlach, sodalis eius, 23800 flor. dominium Spiez emere sustinuit, Renovata Bernae vetera factionum nomina et in domo collegii „ad scurram“ haec verba inscripta inventa sunt: [1])

„Wir Gwelfen
Wend uns der Ducaten und Kronen behelfen,
So ihr Gibel,
Koth und Dreck essent us dem Kübel.

Eodem tempore in comitiis frustra de pensionibus alienisque abrogandis foederibus actum est, postremo Berna se liberam facultatem retinere velle declaravit. [2]) Anno 1517 Bernates Franciscum rogarunt, ut „ocultas persiones“ augeret, immo aperte decretum est, ne unquam, quod antea iam factum erat, pensiones iuramento reiicerentur. [3]) Anno 1520 Berna, ut Schinner cardinalis ex Helvetia relegaretur suasit, [4]) annis sequentibus in Francisci favorem haesitantem Sabaudiae ducem et episcopum Genevensem, qui ab imperatore stabat, speculata est. Non sine plena pravae agendi rationis cognitione magistratus contra civitatis salutem machinabatur: Nec sine pretio accepto. 21. iun. 1521 [5]) Bernenses 5000 coronatorum senatui maiori, 2000 minori, 4500 francos universis civibus datos esse testantur observantissimeque gratias agunt pro 1000 thaleris, quos „ex singulari gratia“ rex sibi concesserit. 1523 [6]) novis pecuniis acceptis rogaverunt regem, ut senatorum mortuorum pensiones continuo in novos suffectos transferret [7]) „pro conservanda unanimitate“! Quan-

1) Ans. V, 229.

2) Ans. V, 266.

3) Ans. V, 297.

4) Die Saturn. post. f. Jacobi, RM tom. 186, 93.

5) Litterae ad ducem Sabaudiae 5. mart. 1524 (LMB, I109a) ut episcopum Genevensem, qui cum Carolo de Bourbon ageret, revocaret. Cf. ad eundem 14. Mart. Postea Bernenses vel comprehendendum esse episcopum censent. (RM 201, 107).

6) LMB. — 7) ibid. K, I 28—31.

ta in superbo illo liberoque populo improbitas! Eo usque factionum odia processerunt, ut, cum ineunte anno 1520 Caspar Wyler, imperialium princeps, per multos annos senatoris pandaretique munere egregie functus, vita excessisset, Francogallicae partes effodi corpus et in loco non consecrato inhumari iuberent, quia a pontifice 1600 coronatos accepisset Wyler. Non ante annum 1526 res confecta est.[1]) Post Wyleri mortem imperialium studia videntur cessasse, certe per multos annos Francogalli superiores exsistunt.

Non deerant, qui, qualis nunc esset rerum status, honoris ac morum ruinam impendere compertum haberent. Melior pars populi eos sequebatur, et iam, quae anno 1513 facta erat seditio, documento esse debuit magistratui. In ea studia Zwinglius toto pectore incubuit, quem amici fere omnes, Bertholdus Haller quoque, secuti sunt. Turici, ubi restituendae rei publicae et sacrorum mutandorum consilia in Zwinglio quasi conveniunt, qui novam doctrinam defendunt, reiiciunt foedera et pensiones. Bernae contra non plane segregantur factiones, immo ipsorum Francogallicarum partium studiis stabiliuntur reformationis initia.[2])

Pars secunda.

De litterarum studiis apud Bernates.

Cum doctrina atque humanitate haud ita magnum Berna commercium habebat, frigidus populi animus ad usum actionemque potius quam ad disciplinas et rationes con-

---

1) cf. Ans. V, 501: RM. die Lunae p. Laetare 1520, 17. ian. 1526.

2) Postea valde mutatus est Zwinglii animus. Cum antea in eo ecclesiae et rei publicae restaurationem sitam esse putet, ut ab exteris principibus Helvetii segregentur, paucos post annos Francogallos reformationis propugnatores habet et de foedere cum eis faciendo agit. Inter primos est, qui istis Francogallorum incitamentis decepti sunt. cf. Hundeshagen, Beiträge zur Kirchenverfassung etc.

versus erat.[1]) Bernae, in urbe continuis belli periculis aucta, viris in bello gerendo et in republica administranda insignibus opus erat, et utriusque generis multi erant. Humanitatis vero studiis, quae illo ipso tempòre Basileae florebant, Berna vix attingebatur. Queritur Hallerus, quod libri sibi desint,[2]) memoratuque dignum est, quod in urbe totius Helvetiae potentissima et per totam Europam multum valenti ne officina quidem typographica exstabat: Invitationes et acta disputationis Bernae habitae Turici prelis excusa sunt, eodem tempore quō Frobenius Basileae, Turici Froschoverus, etiam Lucernae Thomas Murner artem exercebant. Eruditionis et comitatis parvae esse Bernenses dicebantur, „populus non omnio intractabilis" appellantur ab aequali quodam,[3]) Zwinglius, nec propter solam nominis similitudinem, cum ursis comparare eos solebat, atque in eo potissimum fratres praedicatores Bernenses spem posuisse dicuntur, fraudem quandam, cuius infra mentionem faciemus, successuram, quod Bernae pauci docti homines et imperita plebs esset.[4])

Licet iuvenes nobili loco orti saepe in exteris universitatibus studia facerent[5]) — comitatis enim erat apud exteros principes, ut iuvenibus Helveticis darent stipendia, quibus Lutetiae s. Patavii studia exercerent[6]) — homines tamen litteris vere eruditi admodum pauci nobis occurrunt.

---

1) Cf. Hundeshagen, das Partheiwesen etc.

2) Hall ad Zw. 26. nov. 1527: Hebraici libri paucissimi, Graeci pauciores.

3) Glareanus ad Myconium 11. nov. 1520, ex parte tantum epistola exc est Schw. Gesch. F. VI, 15. copia exstat in Simleri coll Turic.

4) Ans. III, 373.

5) Sic Nic. a Wattenwyl, postea praepositus Bernenses, per plures annos Lutetiae stipendio 100 thalerorum a Sabaudiae duce dato fruitur. LMB, G pl. 1.

6) Petunt Helvetiorum pagi a Francisco I., ut in Rothwilam, foederatam civitatem, idem beneficium conferat LMB, K 88.

Ludus Bernensis non ita contemnendus erat.[1]) Paullo ante scholae novum aedificium exstructum est,[2]) magnus etiam discipulorum erat numerus.[3]) Usque ad a. 1503[4]) s. 1505 H. Lupulus — Wölffi — ludimagistri munere functus est, „homo doctus et poëtico ingenio praeclarus"[5]) quo et Zwinglius magistro usus est.[6]) Successit, ut supra indicavimus, 1505 Valerius Anselmus, deinde circa annum 1513 Michael Rubellus Rothwilensis[7]), Halleri et Heinrici Glareani, qui summis eum laudibus extollit[8]), praeceptor. Quem secutus est Melchior Volmar,[9]) vir magni ingenii, qui 1520 Berna relicta in Francogalliam se contulit. Sub idem tempus alius quoque homo doctrina excellens Bernam reliquit, Dr. Thomas Wyttenbach Bielensis, Zwinglii praeceptor, quem Anselmus[10]) — nescio an amici laudes nimis extulerit — doctissimum in confoederatione Helvetica virum appellat. Qui 1515 custos collegii s. Vincentii factus[11]), 1519 praebendam deposuit, anno sequenti Bielam se contulit[12]) parochi officium suscepturus, sed absens quoque Hallero mansit amicus. Haud parvi momenti est, quod ante ipsa re-

1) Glarean. ad Mycon. 11. nov. 1520.

2) Ans. I, 261. — 3) Ans. II, 309

4) Quo anno canonicus factus est. LBM, F124.

5) Vita Zwinglii auct. Oswaldo Myconio, Tschirner's Archiv I, 2, 4. Extant poëmata quaedam Latino sermone conscripta in Faesi „Bibl. d. schweiz. Staatskunde, Erdbeschr. u. Litt." Zürich 1796. t. I, p. 161. De Lupulo cf. Moerikofer Ulrich Zwingli p. 6 et praefat. ad H. Glareani „panegyr. ad D. Maximilianum imp."

6) Vita Zw. p 6. Dedicationi libelli „von göttl. u. menschl. Gerechtigkeit" adiectae sunt salutationes ad Wyttenbachium et Lupulum „bede mine underwyser."

7) Hall. ad I. W. Egen 22. febr. 1513.

8) Duo elegiarum libri (Basileae 1516), cf. praef. ad paneg.: „cuius moribus ne Morus quidem invideret." Laudat eum etiam Vadianus „Libellus de poëtica et carminis ratione." Wirz, Helv. Kirch. Gesch. V, 61,

9) Glar. ad Myc. l. c. — 10) Ans. V, 41.

11) LMB, H114. — 12) Stuerler p. 4.

formationis initia tanti ingenii viri Bernam reliquerunt. Lupulus quoque, quem certe plurimum in hac contentione valuisse credideris, quamquam inter primos reformationem amplectitur, in propaganda tamen non strenue videtur elaborasse. A catholicorum quoque parte pauci sunt viri docti digni commemoratione: Sic parum ingenii vis in ea contentione valet. In neutris partibus quisquam invenitur qui, ut Turici Zwinglius, totam rem gerendam velut auctor atque princeps in se suscipiat, itaque fit, ut tam diu tamque ancipiti fortuna contentio geratur et ut in describenda historia reformationis Bernensis curiae magis quam suggestus ratio habenda sit. „Bern war arm an Gelehrten und der isolirte Berthold Haller dem grossen Werke kaum gewachsen. Mehr als irgend gaben dort Staatsmänner, die Wattenwyls, Tillmann, Mays, Manuel, Wagner, im Haag, Nägelin etc. den Ausschlag.“[1])

Pars tertia.

De conditione ecclessiae.

Si de statu ecclesiae apud Bernenses quaerimus: Iisdem quibus tota fere Helvetia malis Berna aegrotabat. Iam quod doctrina carebat magna clericorum pars, graviter dolendum erat, gravius vero, quod sacerdotes multi inanium rerum studiis magis quam sancto officio vacabant tantaque erat in nonnullis negligentia, ut, si in disputationibus Helveticis dicendum erat, utrum veterem an novam fidem sequerentur, se magistratuum sententiam secuturos esse affirmarent. Quam depravati fuerint mores, melius quam singula exempla indicant magistratus edicta etiam atque etiam contra impuram clericorum vitam proposita, ipsaque crebra repetitio, quam inutilia initio certe fuerint, ostendit.[2]) Dissoluta erat coenobiorum disciplina neque adhibitis remediis ita potuit restau-

1) Schweiz. Gesch. F. I, 147.

2) Etiam episcopus Constantiensis anno 1517 litteras pastorales edidit, quibus vehementer clericorum vita vituperata est.

rari, ut diutius integra maneret. 1482 plures abbatissae ex ditione Bernensi relegatae sunt,[1] cumque anno 1501 Raimundus,[2] episcopus Gurcensis et legatus apostolicus, in monacharum Cisterciensium coenobio Frauenbrunnen antiquam disciplinae severitatem, concedente abbatissa, redintegrare vellet, monacharum pars et abbas Frienisbergensis, qui ius visitationis in eo coenobio habebat, pertinaciter restiterunt. Duo monachi Interlacenses in bello quod dicebatur Disionense sacrilegium fecisse ferebantur. Huiusmodi narratiunculas licet in plebis potius sermone quam in veritate positas esse credas, certe tamen qualiter in plebe monachi audierint ostendunt. Non intercedebat firma plebem inter et clericos fides, de clericis exortis anno 1525 seditionibus multifariam rustici conqueruntur, in clericorum vitia, cum reformatio vix initium Bernae sumpsisset, acerrime animadvertere licuit Nicolao Manuel.

Ne urbanorum quidem coenobiorum bona erat conditio. Anno 1499 magister fratrum ordinis S. Spiritus, qui in hospitio extra urbem ad portam S. Christophori sito aegrotos recipiendos sanandosque curabant, propter continuas quas cum fratribus exercebat simultates in vincula coniectus, deinde in carcere suspensus inventus est.[3] Sub Iohannis Rosenstiel magisterio ad meliorem vitam se recipere fratres videbantur,[4] mox vero denuo magistratus queritur[5] de rixis eorum ac rei familiaris negligenti administratione, rogatque ordinis magistrum Stephansfeldae habitantem, ut novo bonoque magistro misso ad meliorem statum fratres reducendos cures.[6]

---

1) Trub, Gottstadt, Wangen, Buchsee. Ans I, 310.

2) Ans. III, 148. Anno 1510 denuo Bernenses de isto coenobio conquesti sunt, cf. Ans. IV, 112.

3) Ans. III, 69.

4) 1520, RM 185, 29.

5) 1522, TMB, P 44b.

6) Coll. Siml. TMB, P 81a et 96a.

Fratrum praedicatorum coenobium, quamquam ad meliorem tunc fortasse conditionem reductum, ante paucos annos existimationis iacturam fecerat.[1]) Anno enim 1507[2]) quattuor fratres cum paupere sartore, nomine Jetzer, in monasterium recepto, nefarias fecerant fraudes, ut fictis miraculis cum coenobio suo auctoritatem adderent tum doctrinam de B. M. V. immaculata conceptione falsam esse demonstrarent. Fortasse non sine minoritarum praedicatoribus infestorum studiis, qui doctrinam illam defendebant, detecta fraus est, et urgente magistratu quattuor monachi per legatum apostolicum in quaestionem vocati omnesque combusti sunt. Ingentes pecunias in ea re ab urbe impensas restitui a coenobio magistratus postulavit, cumque iam anno 1509 de vendendo coenobio actum esset,[3]) anno 1523 monachi datis libris 100 cum magistratu transegerunt. In tali rerum statu frustra praedicaores reformationi restitisse minime mirandum est, praesertim cum perpetuas cum minoritis discordias exercerent.

Praedicatoribus adstipulabantur monachae ord. S. Dominici. Quarum monasterium cum antea in Arolae insula quadam situm fuisset, tunc quoque „coenobium in insula, Inselkloster“, monachae „Inselfrauen“ appellabantur, quamquam in urbe habitabant.[4]) Veteris disciplinae severitatem usque ad id tempus retinuerant, insignes erant regula diligenter exsequenda et pietate, quae simulatio nimirum reformatoribus et „mera hypocrisis“ videbatur.[5]) Multae nobilium gentium filiae isthic degebant[6]), nec parva erat in urbe monacharum auctoritas.[7])

---

1) Coll. Siml. Turic. tres continet libellos de ea re Latino, Germanico, Francogallico sermone conscriptos. De quibus cf. Grueneisen Nic. Manuel p. 196 et append. I. Unus est apud Simlerum Sammlungen I.

2) Acta Bernae extant. Rerum horrendarum, quas narrat Anselmus a. a. 1507, multas accusatis per tormenta solum expressas esse crediderim.

3) Cf. Archiv IV, 2, 47.

4) De quibus cf. „zur Geschichte des Inselklosters“, Archiv IV, 2.

5) Seb. Hofmeister ad Zwinglium 22. apr. 1528. Zw. opp. VIII.

6) De Wattenwyl, de Bueren etc. Arch IV, 54. — 7) ibid. p. 47.

Cum tolleretur coenobium monachae, in eo fuerunt 13 cum sororibus operariis 8.[1])

Plura praeter sacerdotum coenobiorumque depravatos mores accedebant, quae ad res in ecclesia novandos animos praepararent. Paucis ante annis Albertus a Stein ex coenobio Lugdunensi caput quod ferebatur S. Annae Bernam comportaverat, quod summa devotione a Bernensibus exceptum est. Sed brevi post litteris abbatis illius coenobii certiores facti sunt, fraudem a monacho quodam factam esse.[2]) Bernardinus Samson quoque, qui anno 1517 cum in aliis Helvetiae pagis tum Bernam indulgentias praedicavit, multorum animos offendit.[3]) Qui, cum Helvetii graviter de eo questi essent, a pontifice vituperatus est.[4]) In aliis quoque rebus curia benignam Helvetiis se praebuit. Quamquam non deerant, de quibus cum curia expostularent: De curtisanis praesertim, quos dicebant, querebantur, qui pontificis gratia florentes nec semper sacro officio pares, acceptis in Helvetia praebendis indigenas loco pellebant.[5]) Sed si ad universa spectes, ipsa Helvetia a curia, cui saepe ex ea militum usus erat, in deliciis habebatur, honoribus pecuniisque cumulabatur, nec saepe Helvetii superbiam vel usurpationes pontificias passi sunt, licet de apostolicis legatis nonnunquam quererentur.

Maxime reformationi opportunum fuit, quod et exigua et in odio apud Bernenses episcoporum erat potestas. Quattuor episcopi in agro Bernensi iurisdictionem exercebant. A Constantiensi dioecesi Arola fluvio dividebatur Lausannensis, ipsam urbem cum omni prope qui cis fluvium erat agro complectens, Aargoviae exigua pars episcopi Basiliensis, praefecturae Gallicae Sedunensis erant. Christophorus ab Utenheim, episcopus Basiliensis propter exiguitatem

1) Ibid. p. 54.

2) Hottinger Gesch. d. Eidg. I, 280. Wirz, Helv. K. G.

3) Ans. V, 333. — 4) Hottinger 287, 292.

5) Nec molliter cum eis Helvetii faciebant: In comitiis decretum est, ut curtisani mergerentur. Hottinger 284.

erritorii, cuius in Bernensium ditione iudicium habebat, multum valere non potuit. Hugo de Hohenlandenberg et Sebastianus de Montefalcone [1]), Constantiensis et Lausannensis episcopi, strenue reformationi restiterunt, sed per magistratum Bernensem, qui nota illa liberarum urbium contra episcopos aemulatione et vera et ficta iura studiosissime retinebat, frustrati sunt omnes eorum conatus.

Iam saepius cum Hugone Helvetii de iurisdictionibus, vectigalibus clericorum, excommunicatione etc. in contentionem venerant. [2]) Lausannensis non semel a Bernensibus contra sedititiosos cives adiutus est, sed tum iam questos eos esse narrat Anselmus: „er wäre jung und zu frech, wöllte meh dann ihm gebührte, zur Woll und Milch auch die Hut und das Flisch haben, meh Bannen dann Weiden.“ [3]) Anno 1525 novae cum eo controversiae exortae sunt. Quamquam episcopi saepius Bernensibus habuerunt, unde quererentur: Episcoporum enim iura sibi vindicare reformationis tempore nunquam Bernenses dubitaverunt, itaque caveas existimes contra episcoporum tyrannicam dominationem necessitate coactos eo rebellasse.

Per se iam satis episcopi Lausannensis in urbe iurisdictio minuta erat canonicorum collegio ad ecclesiam S. Vincentii anno 1485 instituto. Multae fundationes ecclesiasticae[4]) concedente pontifice sublatae erant, ut 24 canonicis praebendae essent, sed non ultra duodecim numerus eorum excessit. [5]) In deferendis praebendis, quae plerumque cleri-

---

1) Per aliquod tempus ad reformationem vergere videbatur valebatque apud eum Lamberti Avenionensis auctoritas. cf. Lamb. ad ep. Laus. inlibro „Farrago omnium fera rerum theol.“ Hallerus ad Zw. 8. iul. 1522. — 2) Wirz H. K. G. III, 325. Ans. V, 40. 350.

3) Ans. V, 57.

4) Index earum extat apud Stettlerum „Regesten des St. Vincenzstifts“ in „Mohr, Reg. d. Arch. d. schweiz. Eidgen.“

5) cf. Ans. IV. 109. 115. Quae affert Simlerus (Sammlung etc.) s. t. „Verzeichniss der h. Gnad (?) Priesterschaft, sammt dem Einkommen der Stift Bern etc.“ plena sunt erroribus.

cis illustri gente in urbe ortis proveniebant, saepius amicitiarum quam utilitatis rationem habitam esse crediderim. In pactione cum collegio facta [1]) multa iura senatus maior sibi reservaverat, canonicorum praebendae ita ab eo deferebantur, ut nihil in praepositi iure esset nisi ut candidatos confirmaret.

Praepositus prope episcopalem in urbe potestatem exercebat, minores impertiebat consecrationes, [2]) de levioribus certe urbanorum clericorum delictis iudicabat. [3]) Vel episcopatum collegii loco instituere curia Romana proposuit, sed negaverunt Bernates. Cum Bernae reformatio oriretur, praepositi munere fungebatur Nicolaus Murer. Qui cum mente captus esset, ad vicem eius Nicolaus de Wattenwyl officiis intererat. [4]) Cum iamdudum praepositus esset appellatus, munus ipsum anno 1523 consecutus est. [5])

Qui, nobili familia Bernensi ortus — pater eius Jacobus multoties consulatu functus est — natus erat anno 1492. [6]) Cum per plures annos Lutetiae studia fecisset, per aliquod tempus Romae versatus honoribus cumulatus est. Homo erat magnae facilitatis et exercitationis itaque inter nobiles plurimum valebat. Canonicatus praeter hunc tenebant doctus ille quem supra nominavimus H. Lupulus, inde ab a. 1523 collegii cantor, [7]) et Ludovicus Laeubli decanus. Eodem anno, quo, ut supra diximus, Dr. Thomas Wyttenbach dignitate se abdicavit, is quoque cononicatum

---

1) Schweiz. Gesch. F. VII, 442.

2) Ans. I. 371. — 3) ibid III, 271. — 4) Ans. a. a. 1520 fin.

5) Electus est 5. mart. 1523. R et B. Stuerler 7.

6) De quo v. Rüetschi in „Theol. Studien und Kritiken“ edd. Ullmann et Rothe. 1863, fasc. III, p. 536 sq. v. „Ephemerides D. Joh. Halleri“ in Mus. Helv. II, 131: „vir in foro Romano dui versatus et mirabiliter exercitatus. Ingruente evangelio veritatem cito agnovit, eiusque recipiendae non postremus auctor fuit, praesertim inter nobiles, qui ab eius auctoritate plurimum pendebant.“

7) LMB, K 70.

adeptus est, qui reformationis Bernensis est auctor, Bertholdus Haller.

C. De reformationis Bernensis historia 1520—1528.

Pars prima.

De reformationis initiis.

Iam anno 1518[1]) libellis Lutheranis, quos bibliopola Bernensis Basilea in patriam transferebat, nova doctrina de restauranda ecclesia Bernae innotuit. Thomam Wyttenbach quoque, qui iam anno 1505 contra veteris ecclesiae de indulgentiis et de iustificatione doctrinam disputasse fertur,[2]) priusquam Bielam transmigraret, eiusmodi studia secutum esse existimo. Veram autem originem reformatio a duobus viris traxit, Bertholdo Haller et Sebastiano Meyer.

Dr. Seb. Meyer, anno 1465 in Alsatia natus,[3]) tunc senectuti iam appropinquabat. De priori eius vita pauca cognita habemus. Minoritarum ordini se addixit, per aliquod tempus Argentorati concionator extitit, circa annum 1520[4]) venit Bernam, ubi in minoritarum coenobio concionatoris et theologiae magistri — Lesemeister — munus suscepit. In scholastica disciplina eruditus erat, neque omisit postea conqueri, quod in Scoto tractando et in scholasticis disputationibus iuventutis iacturam fecisset;[5]) sed moris illo tempore eius modi querimoniae erant, re vera Meyerus et bene eruditus et haud exigui erat ingenii, quod eum Glareanus testatur[6]) tum ex scriptis eius cognoscere licet. Bernae

1) Beatus Rhenanus ad Zw. 26. dec. 1518.

2) Kuhn die Reform. Bern's p. 53.

3) Vita eius extat in Scheureri Mausol. et apud Kuhnium.

4) Certe 19. oct. 1521. Bernae versatur.

5) Meyerus ad Zw. 11. nov. 1522.

6) Glar. ad Zw. 20. ian. 1523.

bene audiebat, nec semel magistratus provincialem adiit, ut quominus Berna Meyerus avocaretur prohiberet. [1]) Homo natura audax, in exsequendis consiliis fortis et tenax, plenus odio et contemptu „tyrannorum,“ qui sibi resistere conarentur, senex Meyerus dissimillimus est Bertholdi Halleri amici tunc ne triginta quidem annos nati. [2])

Natus est Hallerus sive Rothwilae sive Aldingae, qui est vicus oppido illi vicinus. [3]) Litteris initiatus est 1507—1509 cum Melanchthone et Simone Grynaeo Pforzhemii a Georgio Simlero et a Michaële Rubello Rothwilae,[4]) deinde per biennium in universitate Coloniensi studia fecit,[5]) non autem exspectationi eius satisfactum est. [6]) Colonia Rothwilam remigravit, et, cum propter tenuem, ni fallor, rem familiarem Friburgi studia perficere non posset, primo in patria urbe, deinde, Rubellum magistrum secutus, Bernae hypodidascali officium suscepit. Circa diem festum pentecostes 1513 Bernam venit. [7]) 1517 in tabulis publicis aliquando clericum et notarium publicum se subscribit. [8]) Mense Maio 1519 ad ecclesiam S. Vincentii concionator constitutus, [9]) sequenti anno canonicatum adeptus est. [10]) Hallero, mediocris

---

1) R & B ad provincialem 7. apr. 1523.

2) Extat imago recta in Scheureri Bern. Maus., obliqna ligno incisa in Reusneri imag. collestione, duae obliquae aere excusae apnd Boissardinm. In qnarum altera: Nasc. in Helvetiis (?) A⁰. 1492, Ob. A⁰. 1536.

3) Uni epistolae (ad Bolsterum, die Aegidii 1515) subscribit: Berchtoldns Haller Aldingn. (copia in Simleri coll. Turic.) Sed aliis litteris (ad Vadian. 19. apr. 27) subscr. „Rubevillanus,“ Anselmus quoqne (VI, 101) et Bullinger (I, 360) Rothwila ortum eum faciunt. In contrariam sententiam id fortasse afferri posse videatur, quod Halleri rater anno 1527 Aldingae praefecti officio fungitur. cf. Stuerl. p. 584.

4) Kirchhofer p. 3. — 5) Ad Egenum 22. febr. 1513. Liber immatr. Univers. Colon. X. 4, 8. mai. 1510: Bartholdus Haller de rotwyla Dyoceseos Constantiensis ad artes iuravit et solvit. — 6) Ad Egenum. — 7) cf. ad Egenum, ad Bolsterum. — 8) v. Stettler, Regesten des St Vinc. St. p. 9. — 9) Stuerler p. 5. — 10) 18. mai. 1520. ibid.

ingenii homini, nec Melanchthonis condiscipuli doctrina nec Zwinglii fervor, industria, acumen inerat. Ab altis consiliis abstinens, a rixis et contentionibus alienissimus,[1] pacis amicus, modestus ne dicam timidus, submissus, ubi oporteret, et temperantiae aptus, homo hilaris qui de opimo corporis habitu libenter iocabatur, natura lenissimus sed praeditus etiam assiduitate illa eiusmodi hominibus tam saepe propria, itaque inter acria partium studia locum tenere accomodatissimus. Eruditione non ita magna utebatur, theologica disciplina et Latinis litteris mediocriter, Graecis Hebraicisque fortasse ne mediocriter quidem imbutus erat, quod faciliter ei contingere potuit, qui inde a iuventute multis negotiis obstrictus excolendo ingenio non vacaret. Sed praeter avidam discendi cupiditatem satis in eo erat modestiae, ut multa sibi deesse et sibi et aliis libere confiteretur et, quibus ipse perficiendis impar esset, alienis opibus suppleret.[2] Libenter Zwinglio se inferiorem esse agnoscebat, qui per multos annos plurimum apud eum valet. Itaque dolendum est, quod, multis epistolis a Zwinglio ad Hallerum datis amissis, quantam per amicum in reformatione Bernensi Zwinglius operam navaverit, non semper satis bene cognosci potest.

Anno 1520[3] Hallerus, Lutheranis, ni fallor, libellis legendis commotus, evangelia et decalogum secundum interpretationem Lutheri audientibus explicare coepit. In hoc quoque reformationem Helveticam Germanicae, ut ita dicam filiam fuisse cognoscas. Quamvis enim nonnulli elaboraverint, ut Helvetiae reformationem non extrinsecus religatam pendere, sed Zwinglium Luthero parem habendum esse demonstrarent. A primis initiis totus in Helvetia ecclesiae motus Lutheranus et habitus est et appellatus. Quamquam inter Helveticos reformatores Zwinglium

1) v. Kirchhofer p. 211.

2) v. Kirchhofer p. 206.

3) Ans. VI, 102.

longe primum locum obtinere negari non potest, itaque facere non potuit Hallerus, quin mox in eius consuetudinem veniret. Iam anno 1520 Zwinglium Turici visere ei in animo erat,[1]) quod aut eodem, aut — verisimilius id quidem — sequenti anno fecit.[2]) Plurimum valuit firma, quae exinde inter eos intercedebat, amicitia, neque, ni strenuo amici ingenio confortatus esset, diūtius Hallerus Bernensium inimicitias sustentasset. Multis enim, nobilibus praesertim, nova doctrina offensioni erat. Quorum minis perterritus, cum iam relicta Berna Basileae studia suscipere vellet, Zwinglii epistola,[3]) ut maneret, commotus est. Refórmator Turicensis bene perspectum habuit, quantum in urbe Helvetiae potentissima Hallerus valere posset, cognitis etiam eius periculis. Itaque instanter hortatur, ut quam posset modestissime et cautissime se gereret, quod quidem, quae erat Halleri natura et timor ex nobilium minis conceptus, ne necessarium quidem fuisse puto. Magistratus quoque rerum novarum primordia suspiciose considerabat. Mense Martio 1522 parochus Kirchbergensis missam celebrare iussus est, qualis ab antiquis temporibus usus esset,[4]) et episcopo Constantiensi senatus sub idem tempus retulit, negari a sacellano Brittnaviensi, missam esse sacrificium mortuisque eam prodesse.[5]) Neque ipse episcopus editis 2. Mai 1522 litteris pastoralibus omisit clericos commonefacere, ut a nova doctrina caverent, et eodem mense exeunte decreverunt comitia Lucernae habita prohibere, quominus eius in Helvetia fieret praedicatio.[6])

Mox vero meliorem spem Hallerus nactus est. Cum mense Augusto episcopus Lausannensis Bernae degens Hallerum doctrinae suae rationem reddere iuberet, senatus

1) Myconius ad Zw. 13. dec. 1520. — 2) Zwinglius ad Hall. 29. dec. 1521. — 3) ibid. cf. Hall. ad Zw. 28. ian. 1522.

4) Die Ven. post Invoc. RM.

5) Die Sat. ante Cantate. Stuerler p. 93.

6) 27. mai. Stuerler 276.

eam rem in capitulo Bernensi iudicandam esse affirmavit, neque amplius Hallerus lacessitus est.[1]) Impune notus ille Lambertus Avenionensis minorita de sacerdotio, ecclesia, sacrificio missae, de pontificis et episcoporum „narratiunculis" Bernae Latino sermone praedicavit.[2]) Maximi vero momenti erat, quod in Saturnalibus anni 1522 Nicolaus Manuel duas[3]) in publico fabulas edidit, etiam in hoc turpi genere turpitudine insignes, impuras, impudicas, sed ob id ipsum plebeculae acceptissimas. Cinerum die carminibus in publico decantatis indulgentiae elusae sunt.

Cuius mutationis caussa praecipua fuit, quod cum in tota Helvetia tum Bernae ii, qui Francogallorum partibus favebant, pontificis et Schinneri cardinalis odio instincti, reformationem initio strenue amplexi sunt. Itàque memorabile oculis nostris spectaculum exhibetur, quod eiusdem factionis homines, quae Turici ei infensissima est, Bernae reformationem tutantur.[4]) Etiam post Francogallorum gravem cladem 20. apr. 1522 ad Biccoccam acceptam Gallicae partes Bernae superiores erant. Quamquam legati ex tota ditione 28. apr. in urbem congregati tollendum esse foedus censuerunt unanimes, si sine dedecore et cum caeterorum pagorum consensu id fieri posset.[5]) Sed hac ipsa conditione Bernensibus optata occasio data est, cum maiori

---

1) Ans. VI, 103.

2) Hall. ad Zw. 8. iul. 1522.

3) Quarum altera in dominorum quae vocabantur, altera in rusticorum Saturnalibus — Herren-und Bauern-Fastnacht — edita (domin. quadrag. et dom. diem Cinerum sequens.) v. Ans. VI, 107. Excusae sunt Grueneisen N. Manuel.

4) Ans. V, 493: „Da braucht der wunderbar Gott disen Hass auch zu gut siner Sach, dann ettlich fast G'waltig und Fürnehm in der Eydgnosschaft stuhnden kräftiglich dem Evangelio zu, disen Cardinal und sinen Bapst mit Glimpf zu verfolgen."

5) Responderunt Erlacenses: „wo nit anders ingesehen und das frömd Reisen vnd Weglaufen also beharre, so müssint ihr Aecker zu Studen werden." Ans. VI, 168.

pagorum parte 28. iul. foedus cum Francisco rege renovandi. Admodum pauci a pactione abstinuerunt.[1])

Sic plures paullatim in suas partes Hallerus transduxit, Iacobum de Wattenwyl, qui inde a diebus paschalibus consulis munere fungebatur, ex canonicorum numero Nicolaum de Wattenwyl praepositum et Henricum Lupulum; Anselmus et Meyerus iamdudum ab eo stabant. Nec multi Bernates rerum novarum naturam iam satis perspectam habebant, ut vehementibus in eas consiliis uterentur. Itaque brevi tempore elapso post repulsam illam episcopo Lausannensi datam reformatoriae partes magnum iniere consilium.[2]) Georgius Brunner Landsbergensis, Bavariensis clericus, homo fortis ac vehemens, iam cum parochi Muensingenis sacellanus esset, acribus sermonibus in pontificem Romanum invectus omnium oculos in se converterat. Qui cum anno 1522 parochus in vico Kleinhoechstetten factus esset, a decano capituli ruralis Muensingensis et tribus collegis[3]) propter sermones illos in ius vocatus est. 27. iun. de ea re praesenti utraque parte in senatu actum est,[4]) qui duobus post mensibus collegio ex laicis et clericis composito rem iudicandam commisit. Quod collegium 29. aug. in minoritarum coenobium convenit, sed ita compositum, ut Nicolai de Wattenwyl artificiis id factum esse suspicari oporteat. Biela Dr. Wyttenbach advocatus erat, accedebant iudices Meyer, Haller, Lupulus, Steiner, decanus Burgdorfiensis reformationis amicus, Theobaldus Nigri ludimagister Bernensis cum duobus fratribus praedicatoribus, qui mox a toto

1) Ans. VI, 166–168.

2) cf. Ans. VI, 103 et Halleri relationem apud Simlerum I, 464—492.

3) Inter quos fuit Joh. Mannberger, cuius extat libellus: „vff den Leimen thurn Gerg feners von weil: das die mess ein opfer sy: Antwort.“ Occasionem dederat alius libellus: „Sturm wider ain laymen thurn ains Römischen predigers, der auss der hailigen Mess gern ain opfer mächte.“ (s. l. et a., uterque in Siml. coll. Tur.)

4) Stuerler p. 5.

negotio se removerunt. Laeubli decanus iudicio interesse noluerat, quoniam episcopi Constantiensis, in cuius dioecesi Kleinhoechstetten vicus situs erat, non vero senatus Bernensis ea res esset. In eius locum Nicolaus de Wattenwyl suffectus est. Inter laicos tres erant, qui reformationem strenue defendebant, Seb. a Stein, Ant. Noll, Barthol. May. Sic fabula data, non iudicium habitum est. Denuo Brunner in veterem ecclesiam invectus est, elusi sunt a iudicibus accusatores, 3. sept. collegii sodales per litteras senatui sententiam dixerunt, qui eodem die decrevit [1]), ut et ab accusatoribus impensae tolerarentur, et, si quid in ea re episcopus Constantiensis statuisset, nulla eius ratio haberetur. Quo decreto eo gravius episcopi iura violata sunt, quod neque in accusati dioecesi caussa dicta est et decanus Muensingensis episcopi citationem exhibuerat.

Illa cessita exinde per anni tempus reformatio processit et alteram post alteram victoriam reportavit. Quantum iam illo tempore Hallerus a veteri ecclesia recesserit, non satis accurate possumus perspicere. Iam ineunte anno 1522 a Zwinglio petiit, ut quem de fide et cultu sanctorum libellum scripsisset, Bernam sibi transmitteret, in eademque epistola de indulgentiis iocatur.[2]) Breviter in epistola, quam 8. iul. 1522 ad Zwinglium dat,[3]) se de sacerdotis, ecclesia, missa, ordinibus monasticis, pontificis episcoporumque potestate a veteri ecclesia dissentire testatur. Purgatorii doctrinam diu retinuisse videtur missamque usque ad finem anni 1525 celebravit. Magnopere studia eius magistratus conniventia adiuta sunt. Cum comitia Badensia novarum rerum studiis resistendum esse statuerent,[4]) Berna per legatos evangelii

---

1) Eodem die. cf. Stuerler p. 5, p. 94. Postea vero Brunner pagum Bernensem relinquere coactus est neque ante a. 1527 rediit v. inf.

2) 28. ian. 1522.

3) Per Lambertum Avenionensem haec epistola ad Zwinglium translata est.

4) Die lun. ante Thomae 1522. Stuerler 277.

praedicationem liberam relinquendam esse declaravit.[1]) Summa itaque et Hallero et Meyero industria uti licebat: Sub finem anni 1522[2]) Hallerus, omissa veteris ecclesiae norma, continuam evangelii Matthaei interpretationem instituit, Meyerus de epistolis Paulinis disserebat et acriter in sermonibus suis contra eos, qui veterem fidem retinebant, invehebatur, unde etiam graviori ab eis odio lacessitus est quam mitior Hallerus,[3]) quo auctore Zwinglius frustra temperantiam ei suasit.[4]) Accusatus est sententiis, quae in concionibus hic inde erant diffusae, collectis, quibus de nobilium superbia, quam Junckery vocabat, et de oppresso evangelio querebatur, sed excusatione senatui tradita se defendit.[5]) Guilelmus Zieli, civis Bernensis, qui haereticum eum appellaverat, sententiam rescindere coactus est.[6])

Clericorum maior pars reformationi infensissimam se praestitit. Rurales praesertim sacerdotes acriter contra novam doctrinam praedicantes se eis, qui illam sequerentur, et sacramenta et sepulturam ecclesiasticam denegaturos minabantur, cumque in coenobio Frauenbrunnen Macrinus, ludimagister Salodurensis,[7]) coram sacerdotibus quibusdam ditionis Bernensis de nova doctrina libere sententiam dixisset, post acrem altercationem ineunte anno 1523 Saloduri colloquium habitum est, cui et Seb. Meyerus[8]) interfuit. Post paucos dies, Glareano auctore advocatus,[9]) interfuit disputationi Turicensi priori et a Zwinglio se stare aperte

1) Stuerler 6. 278. Ans. VI, 102.

2) 23. nov. Ans. ibid.

3) Meyerus ad Zw. 11. nov. 1522.

4) Hall. ad Zw. 8. apr. 1523.

5) Kirchl. Angel. tom. I. extat exemplar ipsius Meyeri manu conscriptum. Dies non ascriptus est.

6) 10. dec. 1522. Stuerler 6. 96.

7) cf. Macrinus ad Zw. 15. oct. 2522.

8) Laudibus effert Meyerum Macrinus ad Zw. 25. ian. 1523.

9) Glar. ad Zw. 20. ian.

professus est.[1]) Sub idem tempus litteris pastoralibus episcopi Constanticnsis, quarum supra mentionem fecimus, vehementi libello respondit.[2])

Spem laetitiamque Halleri amicorumque eius epistolae spirant,[3]) etiam ex clericorum ordine plures paullatim ad eos transgressi sunt, licet Joh. Heim, frater praedicator Maguntiaco Bernam vocatus, et bene et diligenter contra eos concionaretur.[4]) Denuo Meyerus propter colloquium cum clericis quibusdam Bernensibus habitum accusatus est, sed allatis testimoniis debilitata est accusatio,[5]) et post mensem senatus maior Minoritarum ordinis provincialem adiit, ne Meyerus in concilium provinciale Schlettstadiense vocatus Berna amoveretur.[6])

Illo ipso tempore quantum incommodi haberet discordia inter episcopos et magistratum intercedens, luculenter cognitum est. Episcopo Lausannensi, qui omnes, quos in sacerdotum ordinem promoturus erat, iuramento obstringebat, ut novam doctrinam impugnarent, in animo erat agri Bernensis iurisdictioni suae subiecti visitationem habere. Sed auctore Nicolao de Wattenwyl senatus tabellionem obviam misit et quamquam modestissima excusatione visitationem recusavit: Inquietam esse temporis conditionem, visitationem et parochis Lutheranis et eorum parochialibus offen-

---

1) Bullinger I, 102 et Salat. — 2) „Ernstliche ermanung des Friedenns vnd Christenlicher einigkeit des durchlüchtigen Fürsten vnd genädigen Herren, Hugonis von Landenberg, Bischoff tzu Constantz mitt schöner vsslegung vnd erklärung, vast trostlich vnd nutzlich zu lässen, nüwlich vssgangen. fol. 30 — 40. — 3) Meyerus ad Vadianum 18. mart. 1523 (Vad. epp. coll.) Anselmus ad eund. eod. die: „Dedit non exile, cuius hoc solius est opus, incrementum Deus, ut iam nunc, lata interim, ut (at ?) posthabita quorundam hypocritarum utcrinique cultus hominum vesania, liberum Evangelion libere praedicetur magnoque piorum confluxu audiatur.“ cf. Hall. ad Zw. 8. apr. 1523. — 4) ibid cf. Ans. VI, 247. — 5) Stuerler 98. 320.

6) 7. apr. Stuerler 99.

sioni fore, quae sane nova esse debuit episcopo maturandae visitationis caussa.[1])

Maxime vero reformatio adiuta est mandato 15. iun. 1523 edito, quo a senatu maiori statutum est, ut ex solis sacris scripturis abhinc praedicatio fieret.[2]) Imperiale contra edictum[3]) pro conservanda veteris ecclesiae fide promulgatum a Bernensibus recusatum est; collegium canonicorum Zofingense[4]) et decanus Thunensis[5]) ullam eius rationem habere vetiti sunt. Itaque talis erat medio anno 1523 reformationis Bernae status, ut libellum „de divina et humana iustitia“ Zwinglius publice Nicolao de Wattenwyl dedicaret et in dedicatione gaudium testaretur de processu „des gloubens des Evangelii Christi, den din Vatterland die fromm Stadt Bern annimpt vnd täglich wachsst.“[6])

Pars secunda.

De felicibus catholicarum partium pro veteri fide conservanda studiis.

Edictum 15. iun. 1523 propositum maxima eademque pro hoc temporis momento postrema reformationis victoria fuit. Iam inde ab initio nobilibus offensioni fuerat cognatione mutuisque commodis cum praelatorum ordine coniunctis, qui nobiles propinquos contra reformationem ipsis proxime periculum minantem instigare haudquamquam neglexerunt.[7]) Ne pecuniis quidem pepercisse traduntur.[8]) Summam industriam adhibuit Johannes Faber vicarius generalis Constantiensis, postea archiepiscopus Vindobonensis, qui,

---

1) Hall. ad Zw. 9. mai. 1523. R ad episcopum Laus. 28. apr. Stuerler p. 100.

2) R & B. Stuerler 101. Ans. VI, 205.

3) Mandatum imper. Norimbergae editum 6. mart. 1523 Ans. VI, 180.

4) Stuerler 8. — 5) ibid. 7. — 6) Prodiit libellus exeunte mense Julio. — 7) „Darzu so haben sich zu diser Zyt die Bischöf, Aebt, Pröbst und Prior wider gewohnte Art angefangen zusammen zu thun, und widersinns die weltliche Hand zu küssen und zu runen: wenn wir überhin sind, so wird's an üch sin.“ Ans. VI, 100. — 8) Ans. VI, 200.

initio reformationis amicus, deinde acriter ei resistens nobilium plures in suos partes transduxit.[1] Etiam foedus inter reformationis amicos et Francogallicas partes ob odium pontificis et praesentia commoda contractum dissolvebatur: Aegre tulerunt Francogalli, quod Zwinglius pensiones ab alienis principibus accipiendas vehementer castigabat, et quod eius praesertim opera factum est, ut Turicenses et Suitenses a novo foedere ineundo abstinerent, quamquam Hallerus certe, ne de ea re temere iudicando invidiam sibi conflaret, cavebat. Sic Sebastianus a Stein,[2] quam Hallerus „ducem Gallicarum partium" appellat, cum initio strenuus reformationis defensor extitisset, iam converso animo — Fabro auctore id factum esse narrat Anselmus — vel publice contra res novas disseruit et in Hallerum Meyerumque convitia congessit. Quamquam etiamtum multi Gallicis partibus addicti constanter egerunt,[3] sed paullo post cum alii defecerunt tum qui qente ab Erlach orti erant reformationi se praestiterunt infensissimos. Atque ut eo firmior inter praelatos et nobiles amicitia intercederet, Christophorus a Diesbach, coadiutor et episcopus designatus Basiliensis, familia Bernensi ortus, mense Maio 1523 Bernam venisse videtur.[4]

Non fugit Hallerum imminens periculum. Sollicitos esse nobiles existimabat, ne sub „puri et sinceri evangelii"

---

1) Ans. VI, 199: „Demnach hat er so glatt können schmieden, dass er noch diss Jahrs (1523) mit diss Lands vereinten Prälaten, Bischöfen, Aebten, Pröbsten und Gnaden nit die minthüristen der Eydgnossen Tagherren, als fürnämlich von Bern H. Bastian vom Stein, dem evangelischen Handel widerwärtig und hinderlich, ja Tyrannen hat gemacht, die vor demselben günstig und fürderlich, ja gnädig Herren waren gewesen."

2) Hall. ad Zw. 8. apr. 1523: „Sebastianus a Lapide qui inter dominos Bernatos primus Evangelio favit mireque tutatus est episcopum Hoenstettensem (Brunner), nescio quibus pontificum imposturis seductus, viribus adversatur omnibus."

3) Hall. ad Zw. 8. apr. 1523: Optimates apud nos qui Gallo favent, favent et Evangelio.

4) Hall. ad Zw. 9. mai

specie huius vitae bona quaererentur, „reluctari nobiles, censibus annuis et decimis faventes“ Zwinglio refert[1]) et petit, ut accurate sibi explanaret illud Matthaei V, 41: „Petenti abs te dato et cupientem mutuo accipere ne avertaris.“ Revera nobiles ne ecclesiae eversionem rei publicae quoque mutatio sequeretur, timuisse videntur: In comitiis Caspar a Muelinen, Bernensium legatus, iam nunc Turici propter novas doctrinas ordinem prorsus perturbari declamavit,[2]) quod Turicenses propriis litteris reiecerunt.[3]) Zwinglius quoque libello „de divina et humana iustitia“ eiusmodi criminationes repulit.

Magis magisque senatus, cuius princeps tunc erat Johannes ab Erlach, anno 1523 consul electus, catholicorum consiliis perficiendis deserviebat.[4]) Nec diu in occulto remanere potuit, quantùm primo illo mandato peccatum esset. Cum et liberam ex sacris scripturis praedicationem plus quam adiectam contra Lutherum conditionem[5]) valere, nec statim mandatum totum abrogari posse intelligerent, in eo elaboraverùnt, ut paullatim irritum redderent vel, ut optime dicit Anselmus, perforarent.[6]) Iam imprudentibus quoque persuasum erat, plus inter veterem ac novam doctrinam interesse quam novum praedicandi genus.

Inde ab initio anni 1523 plures monacharum, quae, illustribus pleraeque Sueviae Helvetiaeque gentibus ortae, in coenobio Koenigsfeldensi in Aargovia sito degebant, refor-

---

1) Hottinger ad Zw. 8. apr.

2) Hottinger Gesch. d. Eidg. I, 425.

3) 25. iun. 1523. (KA, I.)

4) „Die fürnemsten, auch der Mertheil Schultheis, Seckelmeister, Venner, Edel und ander des kleinen Raths.“ Ans. VI, 206.

5) „und all andern Lehren, Disputationen und Stempenyen, den heiligen Evangelien und G'schriften wie gemeldt, ungemäss, sie syen von dem Luther oder andern Doktoren geschriben oder usgangen, ganz und gar unterlassen.“ Ans. VI, 205. Stuerler 201.

6) Ans. VI, 207.

mationi coeperant favere,[1]) et 14. mart. Margaretha a Wattenwyl, consulis filia, litteris ad Zwinglium datis plures ab nova doctrina stare testatur. Itaque post medium annum pars earum postulavit, ut relicto monasterio in saecularem vitam recedere sibi liceret. Ut ad quietem eas revocaret, senatus ordinis provincialem adiit.[2]) Sed licet habita visitatione regulae asperitas relaxaretur et abbatissa cum quibusdam monachis placata[3]) gratias senatui ageret, aliae tamen in voluntate sua permanserunt, et cum summa omnium admiratione Catharina a Bonstetten, cui pecuniarum in coenobio cura commissa erat, publice Guilelmo a Diesbach, nobili Bernensi, nupsit.[4]) Sic senatus etiam invitus obsequi coactus, libello a „conventus maiori parte“[5]) subnotato cessit, et omnibus monachis cum propinquorum consensu coenobium relinquere permisit.[6]) Ut maiorem offensionem vitaret et „ex duobus malis minus concederet,“ id factum esse ipse senatus testatur. Ne Jacobus quidem a Wattenwyl monacharum precibus faverat.[7])

Iam ante mensem gravem senatores tulerant repulsam. 23. oct. 1523, in die festo S. Michaelis, Hallerus, Meyerus, Dr. Wyttenbach ordinis St. Dominici monachas adierunt, quae illo die patrocinium celebrabant. Cum filia quadam Claudii May colloquens Halleras monachas omnes, qui ordine

---

1) V. Ans. VI, 209. sq.

2) 18. sept. 1523, Stuerler 8. cf. 27. aug. St. 105.

3) Litteris 5. oct. datis Georgius de Waldburg gratias senatui agit, quod in conservanda coenobii disciplina abbatissam iuvasset. KA, I.

4) Ans. VI, 214 id factum esse narrat, postquam omnibus monachis coenobium relinquere permissum esset. Obstat epistola senatus iam. 5. nov. ad Cath. de Bonstetten data. Stuerler 9: „an Wilhelm v. Diesbach's Frauen.“

5) „Merteil des conventz.“ die Saturn. ante Martini (KA I.)

6) 20 nov. Ans. VI 212. Stuerler 9. 107.

7) Ans VI, 210

suo fiderent, in diaboli statu esse,[1]) coniugalem contra vitam longe praestare affirmavit. Unde concionatorum inimici accusationis occasionem sumpserunt. Allata veteri quadam lege, qua sanctum erat, ut, qui ex illo monasterio monacham abduxisset, capitis iudicium subiret, senatus decrevit, ut et Hallerus et Meyerus continuo urbem relinquerent. Sed convocato senatu maiori concionatoribus permissum est, ut se defenderent, deinde auctore Johanne a Weingarten, eorum amico, caussa tota sublata est.[2])

Gravis ea clades senatui, neque iniuria nobilium unus clamitavit: „es wäre nun gethan, des Luthers Handel müsste fürgahn".[3]) Is vero, cui horum notitiam debemus, catholicorum invidiam in se convertit. Propter verba quaedam, quae de sacerdotum coniugio et de B. Maria V. fecerat, uxor eius pecunia multata est,[4]) et ipsi paullo post — de causa tacet — stipendii dimidium subtractum est.[5]) Aegre id ferens anno 1525, ni fallor, Rothwilam se contulit.

Discordiarum, quae inter senatores et cives intercedere

---

1) Barbarae nomen ei erat. Plerique falso claram illam fuisse dicunt, quae postea praeposito nupsit. cf. Archiv II, 1, 19.

2) In commentariis senatus nulla eius rei fit mentio. Quae tradit Anselmus, ex parte certe falsa sunt. Narrat enim, senatum maiorem, antequam cognovisset, qui essent accusati, senatus minoris iudicium comprobasse, cognitis demum nominibus irritum reddidisse suum ipsius iudicium. At ipse Anselmus post confirmatum senatus minoris iudicium Bernhardum Tillmann, maioris senatus sodalem, testantem facit, se per Hallerum amicum iam antea de re omni certiorem factum esse. Omnino fieri nullo modo potuit, quin senatus maior iam ante iudicium negotium cognitum haberet. Quare illa credat Judaeus Apella, ego, ni in toto opere auctorem fidelissimum Anselmus se praestaret, rem totam ab eo esse fictam crederem.

3) Ans. VI, 208.

4) Ibid.

5) Ibid. 209. cf. Stuerler 6. R & B 6. ian. 1524. Non vero statim Anselmus Bernam reliquit, sed, ut supra indicavimus, usque ad 8. apr. certe anni 1525 Bernae moratus est.

coeperunt, ratione habita non miraberis, quod in controversiis, quam iam inter Helvetiae pagos de sacris fiunt, tanta utuntur Bernenses inconstantia, immo in diversas distrahuntur partes. Paulatim in Helvetia fiunt factiones: Quattuor pagi silvani cum Tugio et Friburgo contra Turicenses nituntur, Scaphusia contra et Abbatiscella quamquam non aperte ad Turicenses vergunt. Sanctogalli quoque reformatio, per Joachimum Vadianum, medicum illum et humanistam ingeniosum, strenue adiuta firmiores in dies capit radices. Ceteri pagi, neutri parti addicti, Berna praesertim, omni studio id agunt, ut, quominus bellum exardescat, prohibeant.

Quamquam initio severiora consilia moliri et aperte a pagis catholicis stare Bernenses videbantur. Decreverunt comitia mente Julio 1523 Bernae habita, ut Zwinglius, quocumque loco id fieri posset, comprehenderetur.[1]) Bernenses quoque assensi sunt, sed brevi post nimis severum id multis[2]) visum est. In comitiis Lucernensibus deinde Lucernenses Casparem a Muelinen, Bernensium legatum, adierunt de Andrea Hunold, parocho Aaroviensi, qui Zwinglii Lutherique sententiam sequeretur.[3]) Ratione ab ea, qua in Georgii Brunneri caussa usus est, alienissima senatus capitulo rurali competenti rem iudicandam commisit et statuit, ut accusatus, si vellet, legitima ad episcopum appellatione uteretur. Dicta caussa parochus ditionem Bernensem relinquere iussus est.[4]) Paucis post hebdomadis novae Lucernensium querimoniae ad senatum venerunt: parochi Lutherani Surensis

---

1) Ans. VI, 200. cf. Lud. Tschudi ad Zw. die Iov. p. Margar. (Zw. opp. VII, 302.) Zw. ad Nicol. de Wattenwyl 31. iul. 23.

2) Zw. ad N. de Watt. Aegre tulerunt Suitenses et Glaronenses. Bernae per Nicolaum de W. Zwinglius eius modi consilia reprimere studuit.

3) Stuerler 278. Ans. VI, 201.

4) St. 9. 104. 10. R & B 5. mart. 1524.

sermonibus Beronam, collegium in agro Lucernensi situm, proventibus privari; rusticos enim in ditione Bernensi habitantes collegio vectigales, sermonibus illis instigatos, debita solvere recusare: Quod iam quae anno 1525 factae sunt seditiones quodammodo inauguravit. In quaestionem venit parochus, suos autem senatus, ut officiis satisfacerent, admonuit. [1])

Nihilominus cum Turicensibus adhuc satis concordes Bernenses erant. Qui cum Casparem a Muelinen propter verba illa in comitiis facta apud suos accusarent [2]), benignum tulerunt responsum, [3]) sed disputationi alteri Turici 26. Oct. 1523 habendae interesse Bernenses recusaverunt. [4]) Cum post habitam disputationem Turicenses fidem catholicam radicitus exstirpare coepissent, eo fortius pagi catholici obnisi sunt. Iam videntur dubitasse, num, quae essent in Thurgovia, in quam ex Turicensium agris nova doctrina irrepserat, seditiones, [5]) pax conservari posset. [6]) Itaque mense Febr. 1524 inter omnes pagos Lucernae convenit, ut contra Turicenses veterem fidem tutarentur. Una Scaphusia extorquere fidem aequum esse negavit. [7]) Cum de legatione ad Turicenses mittenda ageretur, cunctati sunt Bernenses, sed haud ita multo post Sebastianum a Diesbach cum mandatis mitissimis legationi interesse iusserunt. Cum legati coram senatu Turicensi verba facerent, legatus Scaphusianus [8]) abiit, neque quidquam impetratum est, nisi ut dubium darent Turicenses responsum et dato excusationis libello se defenderent. [9])

---

1) R. 2 ian. 1524. Stuerler 109.

2) Turic. ad Bern. 25. iun. 1523. — 3) Responsum 28. iun. — 4) Tur. ad Bern. die Iov. ante Galli (K A I.) resp. 18. oct. Stuerler 9. 106. — 5) Ans. VI. 226. — 6) Instruct. in comitia Lucern. R M 200, 83. — 7) Ans. VI. 227. — 8) Cf. Hottinger G. D. Eidg. I, 475. Ans. contra a Scaphusianis legatum missum esse negat.

9) Ans. 227.

Cessantes Bernenses pagi catholici concitabant. Cum mense Martio Badenae haberentur comitia, legatus Bernensis mandato assensus est, quibus Helvetiorum pagi se eos qui ieiunium violassent, pecunia multaturos et vinculis mandaturos minati sunt. [1]) Quae res licet exigua videretur, eo tamen magna fuit, quod, quae inter omnes pro veteri fide conservanda convenerant tunc, primum ad unam certamque rem applicata sunt. Nec factionem suam melius instituere, Bernenses praesertim impellere pagi catholici omiserunt, qui, cum sutorem quendam, quod effigiem Christi cruci affixi Turici delevisset, Lucernae capite multassent, [2]) etiam graviores cum Turicensibus inimicitias susceperant. In comitiis Lucernae habendis severiora contra Turicenses statuere moliebantur. Quibus ut Bernenses quoque assentirentur, quattuor pagi silvani cum Tugio ex conventu Beckenriedae separatim habito litteras ad eos dederunt eosque hortati sunt, ut a temperantia, qua adhuc usi essent, desisterent, promiserunt contra, ecclesiasticis malis se mederi velle. [3]) Eodem die ex senatus decreto quod iam 6. apr. factum erat, missis litteris omnes praefecturae de nova doctrina suffragia ferre iussae sunt. Comitiorum quoque Lucernae habendorum in literis facta est mentio. [4]) Cum praefecturae paene omnes veterem fidem tuendam esse censerent, [5]) decrevit maior se-

---

1) Instruct. 5. mart. Stuerler 10. mandatum ad praefecturas missum ib. 113.

2) Bullinger I, 135.

3) Stuerler 322.

4) Ibid. 11. 114.

5) Responsorum pauca ultra dimidium extant. (Stuerler 326—345) Ex quibus locos quosdem afferre operae pretium fuerit. Resp. Lenzburgenses, non evangelium, sed solam interpretationem novam esse, „vnd können aber nit merken, us was Geists; dann jre Werk anzöugend kein Oberkeit ze haben vnd nach dem Fleisch vnd irem Gefallen ze handlen.“ „Die Uewern will bedunken, dass kein Besserung von der nüwen Ler kommen will, dann alle Liechtvertikeit vnd ein Oberkeit

natus 17. Apr.,[1]) ut, qui ieiunium violassent vel in sanctos contumelia contulissent, ut omnes quoque qui uxores duxissent clerici poena afficerentur, ita tamen, ut primi edicti — 15. iun. 1523 — species retineretur. Tribus post diebus Bernensium legati cum caeteris pagis — praeter Turicum et Scaphusiam — Lucernae constituerunt, „dass die Predicanten allenthalben das Gotteswort, namlich das Evangelium und die christlichen Lerer der heiligen Geschrift, so da bewärt, und von der h. christenlichen Kilchen ufgenommen, predigen, und sunst all ander Stempnien vermiden, die si mit der heiligen Geschrift nit bewären mögen, das Wiben der Priester, Fleisch oder Eier ässen zu verbotnen Ziten und ander Missbrüch, so jetz us der Lutherschen Seckt und dero Anhängern ingerissen, strafen und usrüten; und insundern weliche die sind, so zu Sölichem mit Verwilligung gäben, die syen geistlich oder wältlich, nit denen söllend und wellend wir in deheinenweg Gemeinschaft haben.“ [2]) Postremis verbis assentiendo legati ultra mandata 19. apr. data [3]) progressi sunt. 28. apr.,[4]) quae 17. apr. decreta erant, novo mandato praefecturis nunciata, Turicenses contra mitibus litteris placati sunt. [5])

Catholici pagi cum frustra adhuc contra Turicenses laborassent, nova molita sunt. Comitia indicta sunt 10. iul.

---

verachten.“ (Burgdorf.) „Wiewol sie reden, das heilig Evangelium sye 500 Jar verborgen gelegen oder mer, lassend wir ganz vnd gar ein unnütze Red sin vnd bliben, dann wir wol wissend, dass das nit ist.“ (Obersimmenthal.) „müssen wir bedenken, dem Guten werd nicht nachgelept, sunder das Böst darvon genommen.“ (Oberhasle). Multi etiam de vendendis indulgentiis, duplicibus praebendis, depravata clericorum vita questi sunt, sed evangelii praedicationem liberam relinquendam esse soli omnium Konolfingenses responderunt.

1) Stuerler 12. — 2) Stuerler 326. — 3) Ibid. 325. — 4) Ibid. 116. — 5) 1. mai. Stuerler 117. Conquesti erant Turicensibus de comitiis Lucernensibus ep. data 27. apr. (K A I.)

Tugii habenda, et iam vetus ludus ludi coepit. Turicenses, cum Scaphusianis et Abbatiscellanis comitiis interesse vetiti, Helvetica foedera violari conquesti sunt, [1]) quinque pagi contra, iterum separato conventu Lucernae facto, Bernenses adhortati sunt, ut infinitam darent legatis Tugium mittendis licentiam. [2]) Turicensibus [3]) se Tugii controversiam composituram Berna respondit legatisque dedit infinitis conditionibus circumscripta mandata, quibus declaratum est, non licere comitiis cum singulorum pagorum rebus ad fidem pertinentibus se interponere tum — quod semper pagis catholicis in animo erat — agere cum pagi cuiusdam praefecturis, ni pagi magistratus id permisisset. [4]) Sic non ultra verba Tugii excessum est, nec nova Helvetiorum legatione, cuius princeps erat Seb. a Stein Bernensis, aut Turici aut Scaphusiae quidquam impetratum. [5])

Sed hoc ipso tempore pagis catholicis denuo ut ita dicam ansa data est, qua contra adversam partem uterentur Cum praefectus in Thurgovia constitutus concionatorem quendam Zwinglianum noctu comprehendi iussisset, seditio in ista regione iam per aliquot annos [6]) gliscens erupit. [7]) Milia rusticorum concurrerunt, et die sequenti coenobium carthusianorum Ittingensium, qui veterem fidem strenue defendebant, combustum est. Turicensis quoque ditionis homines, in vicis quibusdam habitantes, qui summo iudicio in Thurgovia exercendo subiecti erant, interfuerant tumultui. Quos

---

1) Tur. ad Bern. 2. iul. Stuerler 357.

2) Quinque pagorum legati ad Bern. 4. iul. ibid. 359.

3) Bern. ad Tur. 7. iul. R & B. St. 123.

4) 10. iul. St. 280.

5) Cf. Hottinger G. d. Eidg. II, 50.

6) Helvetiorum legati Bernae congregati ad praefectum Thurgov. 28. mart. 1523 T M B.

7) Bullinger, eumque secuti Kirchhofer, Christoffel, Moerikofer 7. iul. id factum esse narrant. Recte Anselmus VI, 233: „uf den 17. Tag July, war Suntag z' Nacht.“

punire Turicenses, quod inferiorem, pagi contra, apud quos summum in Thurgovia iudicium erat, quod summam iurisdictionem haberent, suum esse affirmarunt, itaque ad disceptationem ventum est infinitam.[1] Eodem tempore Austriacorum legati in comitiis questi sunt, quod Turicenses quidam Waldshuti, in oppido Austriaco, propter novas doctrinas seditione exorta auxilia tulissent. Scaphusia quoque, quam in urbem Waldshutanorum concionator confugerat, huic negotio implicata est.[2]

In omnibus hisce concertationibus Berna eandem quam antea temperantiam retinuit. Et Waldshutanorum[3] et Turicensium legatis mite responsum datum est, comitiis tamen, in quae Turicenses mediae factionis pagos invitaverant, interesse Bernenses recusaverunt.[4] In comitiis Lucernensibus componere controversiam studuere Bernatas, neque, ut ab eiusmodi consiliis abstinerent, sex pagorum catholicorum legatione commoti sunt.[5] Nec nova legatione, quam auctoribus Bernatibus[6] mediae factionis pagi Turicum miserunt, praeter dubium responsum quidquam impetratum est.[7]

Ne in ipsa quidem urbe et ditione Bernensi senatus anno 1524 severiora contra reformationem consilia inire ausus est. Cum ditionem paene totam a se stare cognovisset, tamen propter eorum, qui inter cives reformatione favebant, multitudinem tempori servire coactus est. Itaque factum est, ut novum mandatum 28. apr. editum a se ipso, ut supra indicavimus, dissentiret. Quattuor canonici — Wölffli, Hübsche, Meinrat, Schwytzer — qui uxores duxerant, loco

1) Cf. Moerikofer Ulrich Zwingli 242 ff.

2) Cf. Bullinger, Ans. VI. 239, Höttinger, G. d. Eidg. II. p. 11.

3) 19. oct. R. & B. Stuerler p. 17.

4) 9. oct. R. & B. ibid.

5) St. 281.

6) St. 131.

7) St. 286.

moti sunt. Cui iudicio dato libello,[1] quo ineptius vix quidquam excogitari potest, reclamaverunt, sed ne maior quidem senatus facere potuit, quin 8. mai iudicium confirmaret,[2] idque solum a civibus perfectum est, ut contra omnes quoque qui cum concubinis viverent clericos eadem poena statueretur.[3] Ex quo decreto duó canonici praebendas amiserunt.[4] Timuisse videtur magistratus, ne in urbe seditio exoriretur, a maiori certe senatu 18. mai decretum est, ne ante facienda sacra in area concursus neve ullae extra ecclesiam conciones fierent. „Lutheranos libellos" vero et habere et legere omnibus permissum est.[5] In nulla autem re, quanta iam cives inter et senatores fuerit discordia, et quantopere ex tempore utrisque consilia capienda fuerint, apertius cognoscere licet, quam in Sebastiano Meyero urbe expellendo. Fratres praedicatores et minoritae etiamtum continuo altercabantur; Meyerus praesertim et Heimius[6] acribus alter in alterum invehebatur concionibus. Cum 23. oct. Heimius de iustificatione sermonem faceret, Thomas ab Hofen, et Leonhardus Tremp, Zwinglii sororis maritus, publice in ecclesia mentiri eum affirmarunt. Sequenti die vinculis mandati sunt, et 26. oct. maior senatus — praeposito, Laeubli decano, Heimio cum fratrum praedicatorum priori, Hallero, Meyero praesentibus — iudicium fecit perridiculum. Neque enim, quod aequum fuit, turbulentos illos poena affecit, neque, quod rationi saltem consentiens, rem integram

---

1) St. 346. — 2) Ib. 12. 119. — 3) Ans. VI, 254. 4) Finsternau et Schwäbli. ibid.

5) R. Stuerler 13. Idem senatus Aaroviensibus 8. iun. praecepit. R M 202, 36.

6) „Dass von Mentz haruf Bruder Hans Heim, ein frecher, wohlgefitzter und vollbiblischer Lesmeister, usgebracht, den nüwen, evangelischen Fuss ze halten; das er auch angentz so trutzlich und tapfer zu Hand nahm, dass er flux einen grossen Zulauf und Ruhm gewann." Ans. 247.

reliquit, sed et Heimium et Meyerum, qui totius negotii nullam habuerat partem, intra dies tres et urbem et ditionem relinquere iussit.[1]) O iudicium vel Salomonicam sapientiam excedens, quod ne intelligeres quidem nisi ex mediae factionis intimo desiderio, ut tandem pax fieret et quies in urbe, et ex utriusque partis consensu. Utilior vero reformationi quam veteri doctrinae fuit. Quamvis enim aegre ferret Hallerus tam strenuum sibi eripi socium: Sine inimico quoque relictus est. Non enim permisit senatus maior, ut in coenobiis amplius praedicaretur,[2]) ipseque Anselmus suis partibus illud opportunum fuisse, hisce verbis testatur: „Aber der wunderbar gnädig Gott kehrt dick Räth und Anschläg des listigen, aber vor Gott blinden, Weltwitz wider Sinns um zu Gutem, namlich zu fryer, einhälliger Predigt des Evangeliums; das nimmer oder kum beschehen, so die unvereinbarliche Klöster ihr widerspennig Geschrey haettint erhalten."[3])

Nihilominus expulso Meyero novos animos senatus resumpsisse videtur. Paullo post enim iterum mandatum de sacris immutatum est. Quae de coniugio clericorum et de ieiunio iam antea decreta erant, confirmata sunt, adiectum vero, ne cui Lutheranis uti libellis, quod tamen brevi tempore ante concessum erat, liceret.[4])

Iam antea catholicae in Helvetia partes consilium inierant ipsius veteris ecclesiae ita reformandae, ut omnino

---

1) Ans. VI, 247—249. St. 18, R & B.

2) St. 19. „es ist auch daby angesächen, dass hinfür die beid Cantzel zu den Predgeren und Barfüssern still und unversechen stan, und man sich mit Herrn Berchtolden allein sölle benügen." 16. aug. 1525 iterum decretum est, ne in hospitio superiori — im obern Spital, quod erat fratrum O. S. Spiritus — conciones fierent. „min Herrn haben hievor angesächen, dass niendert in der Stadt geprediget, dann an einem Ort." St. 27. R.

3) Ans. — 4) St. 128.

tollere eam non necessarium esse demonstrarent. Ineunte anno 1525 rem in comitiis tractare coeperunt. In conventu 10. ian. Eremi habito episcopus Constantiensis per legatum ad Helvetiorum legatos retulit, ut per collegium ex episcoporum et pagorum procuratoribus compositum capita proponerentur, quae usque ad concilium generale valerent.[1]) Ineunte febr.[2]) omnium pagorum — excepto Turico — praeterea St. Galli, Vallesiae, Grisoniae legati Lucernam convenere. Cum Basileae, Scaphusiae, Abbatiscellae, St. Galli, Grisoniae legati certa a suis sibi mandata esse negarent,[3]) caeteri „reformationem,“ quam dicebant, exaraverunt,[4]) quae singulis magistratibus recipienda proponeretur. In duas partes dividebatur: Priori, quae iam antea pro veteri fide conservanda statuta erant, aut repetita sunt aut explicata, altera ad reformandam clericorum vitam spectabat. Nonnulla pro libidine et inique constituebantur: Omnia civium onera clericis quoque exinde suscipienda esse, in causis coniugialibus magistratibus diiudicandum esse, utrum ad episcopum referretur caussa an a parocho iudicaretur. Iuramento et sigillo ab omnibus qui assentirentur haec reformatio confirmari debuit. Iterum igitur firmum Turicensibus catholicorum pagorum foedus obiicere tentatum est, sed id quoque consilium Bernensium praesertim studiis irritum redditum est. Cum enim C. a Muelinen, defensor ille veteris fidei fidelissimus, legationibus fungens strenue in exsequendo negotio laboraret, maiori tamen senatui id minus acceptum fuit.[5]) Itaque cum denuo legati Lucernam convenissent, intercesserunt Bernates[6]) illi reformationis capiti, quo sanctum erat, ut clerici, qui uxores, duxissent non solum praebenda, sed officio quoque privarentur. Salodurenses eis adiuncti sunt.[7]) Frustra in eum modum caput illud

---

1) Stuerler 284. — 2) Salat. 338. — 3) Ib. 339.

4) „Reformatio“ extat apud Bullingerum.

5) Ans. — 6) Lucernae 10. febr. Stuerler 288. — 7) Salat. 350.

immutatum est, ut sacerdotes praebendas amitterent, liberi eorum spurii haberentur, sed singulis pagis intendere poenam liceret:[1]) Permanserunt Bernates in sententia, ratione ac iudicio ab edicto cum pagis catholicis de sacris faciendo abstinuisse videntur. Frustra etiam atque etiam in comitiis negotium tractatum est: Nec Lucernae[2]) nec Eremi[3]) quidam impetratum, et merito queritür Salatus: „Mit Keinen Dingen ist Ves Eydtgnossen mehr abzugewünnen dan mitt der Haar."[4]) Cessavit negotium, clamitabant multi, iniuste clericorum iura violari, cumque sex pagi catholici in communem reformationem se sociarent, caeteri rem missam fecerunt.[5]) Bernenses processerunt soli: 7. apr. 1525 prodiit „reformatio" 35 capita complectens.[6]) In summa rerum, immo in verbis nonnunquam cum 9 pagorum et Vallesiae commentatione consensit, sed contra novam doctrinam minus severe quaedam constituta sunt. Quod ad clericorum coniugia pertinet, Bernates mirum illum modum retinuerunt, ut indigenis clericis, qui uxores duxissent, officia manerent, externi contra ditione Bernensi pellerentur. Num purgatorium esse et sacrificium missae mortuis prodesse crederent, liberum omnibus arbitrium datum est, „libellorum prelis excusorum" usus interdictus, non vero Zwinglii et Lutheri expressa facta est mentio. Neque constitutum est, ut concionatores priusquam officia susciperent coram episcopo examinarentur; de clericorum vita eadem in utraque commentatione statuta sunt. Parochis accurata de cura animarum data praecepta, statutum, ne quis aut plures praebendas cumularet aut absens praebenda frueretur, neve pecunia venderentur indulgentiae. Casuum reservatorum iudicia et dispensationes coniugiales ab epi-

1) Quod propositum est Eremi 14. mart. Stuerler 290.

2) 1. mart. Stuerler 289. — 3) 14. mart. ib. 290.

4) Salat 350.

5) v. Bullinger. Ans. VI, 321.

6) Ans. VI, 313—320. Stuerler 135.

scopis ad parochos translata sunt, collegiorum ecclesiasticorum libera potestas et acquirendi bona et libere administrandi imminuta est.

Novus is fuit gradus ecclesiasticae potestatis cum saeculari sociandae. Nec tunc primum eam viam Bernenses ingressi sunt. Iam saepius excommunicationes promulgari,[1]) coniugiales caussas ad pontificem sive episcopum reiici[2]) vetuerant, deinde constitutum est,[3]) ut clericis et regularibus et saecularibus vectigal, quod Böspfennig appellabatur, imponeretur, licet prioribus beneficiis ab hoc onere exemtis. Sic, quae in rebus ecclesiasticis iam antea usurpata erant, hac nova „reformatione" et confirmata et aucta sunt.

Egregium porro Bernensium „reformatio" est documentum, quam inconsiderate et dubitanter contra novam doctrinam egerint aut certe coacti sint agere. Praeter capita ei infesta alia „reformatio" continet, quae in ipsum eius favorem constituta videntur: Clericorum coniugium si non concessum, toleratum tamen, episcoporum iura tam iniuste violata. Quid mirum, quod apud novae doctrinae assectatores haud ita male Bernatum reformatio audivisse perhibetur? Eadem certe in novo quae in prioribus edictis dementia atque ob id ipsum infirmitas fuit.

Iam vero necopinati casus omissa ecclesiastica discordia tempori deservire coëgerunt, itaque dilatatum est apertum cives inter et senatores dissidium. Exeunte anno 1524 magnus ille in Germania agrestium tumultus exortus erat, cuius incendii flamma Helvetiam quoque si minus incenderunt, attigerunt tamen. Iam ineunte februario in praefectura Schenkenberg rustici, auditis, ut videtur, Turici et

---

1) 23. ian. 1524 R ad parochum in Bipp, RM 200, 43. die Merc. p. Epiphan. 1525 ad episc. Laus. RM 204, 32.

2) Stuerler 126.

3) Die Sat. p. Matthiae 1525, TMB. Quae de vectigali illo iam 15. oct. 1523 (Stuerler 8) constituta sunt, ea ad saeculares solum clericos spectare crediderim.

Waldshuti concionibus, vectigalia solvere recusaverant,[1]) aliique in praefectura Lenzburg exemplum eorum secuti sunt.[2]) Etiam peius in Thurgovia semper inquieta, in Salodurensium, in episcopi Basiliensis ditione res se habere coeperunt. Missis legationibus[3]) Bernates controversias componere et in ipsorum quoque ditione mature providendo severiores casus praeoccupare studuerunt. In pluribus prafecturis de liberandis servis egerunt,[4]) post conventum cum Friburgi et Saloduri legatis habitum[5]) 6000 hominum ad arma convocare et, ubi opus foret, vel Salodurensium imperio subiicere decreverunt.[6]) Et profecto periculosissima erat temporum ratio. In externis quoque rebus Helvetia Francisco primo apud Papiam victo gravia incommoda tulerat. Berna, quamquam foedus servavit, cavebat tamen, ne victorem imperatorem etiam magis provocaret. Itaque cum Ulricus dux Wirtembergensis ad recuperandum ducatum exercitum congregaret et ex Helvetia quoque turbulentorum hominum milia ad eius vexilla confluerent, Bernates suos revocarunt[7]) et Ferdinando regi nunciarunt, si suae quoque ditionis homines ducis exercitui interessent, contra ipsorum voluntatem et auctoritatem id fieri.[8]) In tali rerum statu concordia opus erat. Itaque decrevit 8. mai senatus maior, ne alter alterum aut Lutheranum aut papistam appellaret, ut cuiuscumque generis iniuriis unitis viribus resisteretur, ut omni discordia omissa in eo consilio exsequendo

---

1) die Ven. post purif. Mar. TMB, P 327 b.

2) RM 204, 196; 205, 175.

3) In Thurgoviam missus est 6. mai. Antonius Noll, (Stuerler 94. cf. Haller ad Zw. 6. mai.) ad episcopum Basil. C. a Muelinen. (6. mai R. ad C. de Muel. TMB.)

4) RM 205, 185. — 5) 4. mai. RM 205, 196. — 6) 5. mai. ib. 203.

7) die Merc. p. Valentin. RM 204, 146. die sequenti R & B ib. 158. — 8) 10. mart. TMB.

alter alterum tutaretur et adiuvaret. Sequenti die hoc novae concordiae documentum ab utroque senatu et omnibus totius urbis incolis iuramento confirmatum est, eodemque tempore missi sunt, qui de ea re praefecturas certiores facerent.[1]) Sic intestina discordia extincta est temporum iniquitate.

Nec vero unquam concordia et consiliorum unitate adeo Bernae opus fuerit quam iis qui sequuntur mensibus. Undique querebantur praefecti, quod res novas molirentur praefecturae, quod recusarentur vectigalia et tumultuosi haberentur conventus, querebantur praefecturae, quod nimiis obruerentur oneribus, quibus ut consuleret ac provideret se a magistratu petere. 18. mai. venerunt litterae quattuor parochiarum querelas exhibentes, quibus ut mederentur legati in vicum Bollingen missi sunt.[2]) 31. mai. praefecturarum legati Bernam convenerunt. Ad litteras 9. mai. dimissas benignum responsum datum est, sed novae quoque iactatae querimoniae, nova expostulata.[3]) Eodem die quattuor pagi silvani cum Tugio per scultetum Lucernensem se Bernensibus, ubi opus foret, auxilia laturos polliciti sunt. Novus is fuit catholicorum pagorum conatus ad suas partes transducendi haesitantes. Magnae in senatu legatis gratiae actae sunt, maiorem vero senatum de quinque pagorum amicitia certiorem facere non bonum visum est:[4]) Unde in quantum iam suspicio excreverit, agnoscat. Quinque vero pagi, si strenue Bernenses in futurum ecclesiasticis negotiis interfore speraverant, mox spe exciderunt. In comitiis enim 22. iun. Badenae habitis[5]) Bernates se Turicensium

1) Stuerler 25, 145.

2) Stuerler 364.

3) R & B. Stuerler 25.

4) Stuerler 25. R. „Nota Diss ist nit vor den Burgern eröffnet. Alsdann . . . .“

5) 23. iun. R. „Instr. uf haltende Tagleistung gan Baden. Dero von Zürich halb wellend sich min Herrn wyter nit mer Irs Glaubens beladen noch annämen.“ RM.

fidei nullam amplius rationem habituros esse declaraverunt. Neque minus Turicenses tulerunt repulsam, cum eorum legatos conventui interesse iuberent, in quo mediae factionis pagi inter seditiosos rusticos et foedus Suevicum controversias componerent.[1])

Cum suis callidissime Bernates egerunt: Acceptis praefecturarum libellis supplicibus se propediem eis consulturos pollicebantur, sed postulabant etiam a rogatoribus, ut usque ad id tempus officia sua ut antea solverent. Simulatque vero liberius respirare licuit, libelli singuli tractati et fere omnes recusati sunt.

Quod iam 21. iun. Burgdorfiensium et Landshutanorum,[2]) 17. aug. Schenkenbergensium[3]) libellis obtigit, sola clericorum iura stolae in parochialium commodum imminuta sunt. 16. sept. novae Burgdorfiensium querelae a maiori senatu recusatae sunt.[4]) Cum in Germania profligati rusticorum tumultus et in Helvetia quoque seditiones sedatae essent, iam liberius se gerere magistratus coepit: Plurium praefecturarum rogatoribus uno eodemque die gratum dedit responsum, vix quidquam in eorum libellis inventum esse, de quo iuste quererentur, sin autem se iniuria affici existimarent, ad iudices caussam deferrent.[5]) Clericis contra solvenda vectigalia iterum imminuta sunt. Aliena iura dilargitus sua magistratus diligentisime retinuit; cum de foedere Francogallico nonnulli quererentur, cum praefecturarum consensu id factum esse respondit.[6]) Nulla adhibita vi — immanissimorum rabularum pauci quidam comprehensi sunt[7]) — per

---

1) Tur. ad Bern. 5. aug. Bern. ad Tur. 8. aug. TMB, P 410a.

2) Stuerler 26. R& LX.

3) Eodem die 4 parochiarum querimoniae tractatae sunt. RM 206, 95.

4) R & B. Stuerler 150.

5) 13. oct. RM 207, 39. Similiter 16. oct. responsum Burgdorfiensibus datum TMB, P 472b.

6) Qualis is fuerit consensus, supra vidimus.

7) RM. cf. Ans. VI, 309.

exploratores rusticorum conventus observabat,[1]) matura moderatione quam longissime tempus ducebat, donec seditionis tempestas conticesceret. Sic totus hic motus, qui facile periculosissimus fieri potuit, unitate, consilio, fortitudine magistratus extinctus est.

Ne in mediis quidem rusticorum tumultibus a conciliis suis pagi catholici destiterant. Veteres simultates ducebantur, de caussa Ittingensi iam per anni tempus discordia erat, Thurgovia inquieta erat, abolita missa[2]) Turicences etiam infensiores sibi animos inimicorum reddiderant. Id praesertim agebant more antiquo, ut a Turicensium amicitia totos se Bernates removerent. Impellentibus eis mediae factionis pagi Turicum miserunt legatos rogaturos, ut veterem fidem in urbe sua tolerarent tamen, sed repulsa data est.[3]) Frustra comitia Lucernensia Bernenses eo perducere studuerunt, ut Bielae, in vicino oppidulo, pro veteri ecclesia intercederent: Quod consilium Bielenses missa Bernam legatione praeoccuparunt.[4]) Neque tamen factio catholica, quae Salodurenses[5]) quoque ad se transduxerat, deterrita est. Eius precibus[6]) commoti Bernenses exeunte nov. legatos miserunt — missi sunt, quod non possum quin admirer, infensissimi reformationis inimici: Seb. a Diesbach et C. Willading senatores, Ant. ab Erlach et Ant. Buetschelbach cives — qui a Turicensibus expostularent, ut in una alterave ecclesia missam fieri paterentur. Sed iam satis bene tales Bernatum conatus, quantum valerent, Turicenses cognitos habebant. Non sine Zwinglii auctoritate, cui ut id faceret Hallerus aliique amici Bernenses suaserant, perfectum est, ut Turicenses quoque Bernam mitterent, qui quantae sibi a pagis catholicis iniuriae afficerentur, exponerent. Legati cum 21. dec. coram maiori senatu Bernensium rogationem mitibus

---

1) RM 206, 13 etc. etc.

2) In coena Domini 1525. — 3) Ans. 322.

4) Stuerler 290. RM 17. nov. — 5) Ans. 322.

5) Ibid. cf. Stuerler 374.

verbis sed strenue recusassent, solito more amicum tulerunt responsum, immo affirmatum est eis, non sibi esse in animo cum Turicensibus amicitiam discindere. [1] Novum id Turicensibus, nihil timendum, nihil sperandum, pagis catholicis documentum fuit.

Ex intestinae discordiae periculo, quae facile potuit ex anabaptismo exoriri, nova doctrina evaserat. Iam anno 1524 secta ista in Helvetia apparuit et celeriter, Turici[2] praesertim et St. Galli, vires assumpsit. Principes erant Manz, Grebel, Laurentius Hochruetiner, Balthasar Hubmeyer concionator Waldshutanus. Qui cum doctrinam suam scripto, quodam defenderet, [3] duobus Zwinglius libellis respondit. [4] Sed frustra Zwinglium inter et anabaptistas Turici disputatum est, [5] ne Berna quidem intacta permansit. Duobus mensibus postquam Oecolampadius [6] eum a nova secta cavere iussit, Hallerus Bernae quoque initia eam sumpsisse queritur. [7] Multi Bernenses Hubmeyeri libello delectati sunt, Jacobus Hochruetiner, Laurentii filius, Bernae doctri-

---

1) Stuerler 30, 369. cf. Hall. ad Zw. 29. nov. Postremo ubi consultum Tigurinis tuis videbitur, oratores ad nos mittere, fac ut mittatur vel unus eloquens, et mirum in modum conducet. Zw. ad Oecolamp. 1. dec. Zw. ad Vadian. 23. dec. „Consilio cuiusdam quem tibi paullo post nominabo, factum est, ut Bernam sit legatum, flagitantibus nonnullis, qui isthic Deum timent.“ „Quidam“ ille nimirum est Zwinglius ipse. Bene Turicensium legati Bernae excepti sunt. cf. Glado May ad Zw. die Jov. ante nativ. Dom.

2) Inde a sept. 1524. Hottinger G. d. E. II, 6. — 3) Von dem christenlichen Touff der gläubigen durch Balthasaren Hubmör von Fridberg: yetz zu Waldhut aussgangen: 1525. — 4) Von dem Touff, Kindertouff und widertouff. — Vber Doctor Balthasars Touffbüchle warhaffte gegrünte Antwort. Prodierunt mai. et nov. 1525. — cf. Zw. ad. Vadian. 28. mai. 25. — 5) Moerikofer 288. — 6) Oecol. ad Hall. 8. aug. 25. — 7) Hall. ad Vadian. 5. oct. 1525. Si epistola Bullingeri ad Heinr. Simlerum Bernensem (Simler Samml. II, 91 ff.) re vera anno 1524 data esset, iam antea anabaptistae aliquos Bernae in suas partes traxissent. Sed ad a. 1525 epistolam illam referendam puto.

nam propagare ipse laboravit. Vel studiosi reformationis amici labare coeperunt, ita ut Hallerus a Zwinglio peteret, ut commonefaceret eos.

Ipse Hallerus et Dr. Wyttenbach apud Zwinglium in suspicionem adducti sunt, sed missis litteris Hallerus et se et amicum defendit. [1]) Nec maiores vires secta ne a magistratu quidem tolerata [2]) hoc tempore assumpsisse videtur.

Exeunte anno 1525 Hallerus ab antiqua ecclesia prorsus abalienatus est: In festo nativitatis Christi a celebranda missa destitit. [3]) In capitulo neque adiutorem habebat nec inimicum memoratu dignum. Nicolaus a Wattenwyl ineunte dec. [4]) praepositura se abdicavit, et paullo post Claram, Claudii May filiam, uxorem duxit. [5]) Laeubli decanus, qui omnium fidelissimus veteris fidei in capitulo defensor fuisse videtur, propter simultates quas cum Lupulo exercebat, urbem relinquere coactus est. Iam mense Junio [6]) controversia initium cepit. Ad Jetzeri negotium spectavit, qua in re Lupulum fratres praedicatores defendisse miraberis. Mense aug. [7]) de nova inter eos discordia a maiori senatu actum est. Decanus, qui Lupulum hominem mendacem et haereticae opinionis assentatorem dixerat, condemnatus est aut argumentis firmare quae dixisset aut satisfacere. Propter hoc iudicium Bernam reliquisse videtur. [8]) Sic Hallerus gravissimo, qui ei in capitulo erat, inimico liberatus est, Nic.

---

1) Hall. ad. Zw. 29. nov. 1525.

2) R. ad Aarovienses. Stuerler 31.

3) Hall. ad Ans. 11. iul. 1526 (ap. Stuerl. p. 579.)

4) Stuerl. p. 30.

5) Binderus ad Vadianum (ep. data anno 1526. epp. coll. Vad. t. XI, p. 44 ; dies non ascr. est.)

6) R. M. 205, 310.

7) 7. aug. ad maiorem senatum caussa relata est (R. M. 206, 167), qui de ea egit 14. aug. (R. M. 206, 185).

8) R. M. 18. nov.

contra de Wattenwyl etiam extra capitulum auctoritatem suam in eius favorem interponere potuit. Inimici, qui Meyero sublato ne Hallerum quidem diu remansurum speraverant, spe exciderunt. Omnes eorum conatus — moliti esse dicuntur Hallerum noctu comprehensum, connivente senatu, Lausannam deportare — frustrati sunt: Paucis diebus ante f. Nativ. Domini Hallero concionatoris munus confirmatum est. [1]) Ita in extremo anni 1525 videmus Bernam in diversa studia scissam et distractam. Fierine poterit ut hunc rerum statum diutius retineat?

Pars tertia.

De ultimo partium certamine et reformationis victoria.

In exordio anni 1526, qui fauste inceptus catholicis partibus misere finitus est, oportebit nos factionibus, quae tunc in urbe erant, accuratius describendis eorum, quae sequuntur, faciliorem reddere intellectum.

Iam ultra biennium catholica factio, oppressa initio, et strenue et prospere reformationi intercesserat, sed ultra dubia in rebus et interioribus et exterioribus consilia nondum egressa erat. Iam factionum controversiae in lucem prodeunt, stat minor senatus aperte contra maiorem civium partem. Nobiles fere omnes a reformatione alieni sunt perpaucis exceptis. Medio anno 1525 Jac. a Wattenwyl, qui inde a paschali tempore denuo consulatu fungebatur, lugentibus omnibus reformationis amicis, vita excessit; [2]) in cuius locum Joh. ab Erlach, strenuus veteris fidei defensor, suffectus est. Eadem in senatu [3]) consilia sequuntur equites Seb. a Stein et C. a Muelinen, qui saepe legationibus fungens ab urbe aberat, praeterea Seb.. a Diesbach, Leonh.

1) Glado May ad Zw. die Jovis ante Nativ. Christi.

2) Ans. VI, 348.

3) Senatorum index apud Ans. ibid.

Huebsche quaestor, in cura aerarii egregie meritus, Conr. Willading priori tempore pandaretus, denique Seltzach et Ruewer senatores. Ab adversa parte — pandaretos hoc loco omittimus — non ultra quinque sunt certi assectatores: Barthol. May, P. a Werd, P. im Haag, Ant. Noll, Bernh. Tillmann. Pandareti munere funguntur anno 1525: Joh. Kuttler, P. Stuerler,[1]) Ant. Spilmann, Joh. a Wingarten. Postremo excepto omnes a veteri fide erant, itemque sedecim electorum pars maior. Quamquam id non certis fontium testimoniis comprobatur, sed plurimum in eo collegio senatus auctoritatem valuisse iam ex eo cognoscas, quod anno 1525 Leonh. Tremp, Zwinglii sororis maritus, propter verba quaedam in reformationis favorem facta civium ordine motus est.[2]) Licet unum alterumve praeter eos quos nominavimus senatorem reformationi studuisse concedamus, certe tamen adversa pars numero, auctoritate, prudentia longe plurimum valet.

Civium contra pars maior studet reformationi. Quamquam ex nobilium ordine praeter gentem Wattenwilliam et Dieboldum ab Erlach[3]) vix quisquam, sed praeter nobiles non desunt homines et fortitudine et ingenio pollentes, ut gens May, Ant. Bischoff aliique multi. Multo tamen difficilius certe erat eis potiri suffragiis turbae proprio iudicio expertis temporique servientis, quam „oligarchis" illis vinclo arctissimo inter se coniunctis, qui senatu ad exsequenda consilia uterentur, qui inter cives quoque, nobiles praesertim, multos haberent assectatores, praeterea magnis laniorum

---

1) A reformatione eum stetisse narrat Stettler Schweitzerchronic; sed cf. Ans. VI, 355: „Der Mertheil und die fürnehmsten des kleinen Raths, Schultheiss, Seckelmeister und Venner, die Stift, die Klöster, insunders Predierordens, die Edlen, ohn Wattenwyl, die Metzger sunderlich und Gerbergesellschaft; darwider der handfest Venner von Wyngarten mit sammt etlichen jungen Räthen."

2) Ans. VI, 350.

3) De quo cf. Binder ad Vadian.

et coriariorum niterentur collegiis. Si addideris, quantum valuerit Bernae pagorum catholicorum, quantum in praefecturis iam sua sponte magna ex parte reformationem detrectantibus senatus auctoritas, facile intelliges, quomodo senatoriae partes, licet numero inferiores, tam diu reformationis victoriam dilatare et consiliis saepe occultis — „die Practiken der Oligarchen", quarum tam saepe Hallerus in litteris suis facit mentionem — veterem fidem diutius conservare potuerint.

Non vero poterant reformationem amplexi, quin paullatim et se superiores esse cognoscerent et ex communi consilio agerent. Quo facto victoria dilatari poterat senatorum studiis non vero omnio prohiberi: Cumque senatoriae factionis summa spes in eligendi utriusque senatus ratione esset, in eo quasi in cardine omnes res versari oportebat.

Quae inter cives et senatores intercesserat discordia, exterioribus rebus et aucta est et patefacta. Dico foedus ictum a Bernensibus cum Geneva et Lausanna urbibus, quarum libertas ducis Sabaudiae studiis periclitabatur. Iam anno 1519 [1]) Geneva Friburgenses precibus adiit, quo melius Sabaudiae ducis consiliis, qui ab episcopo Genevensi, propinquo suo, adiuvabatur, intercederet. Inter urbes foedus factum. Non vero dux consilia missa fecit, aegreque per caeteros Helvetiae pagos res ita composita est, ut et Friburgenses a foedere desisterent neque amplius dux postularet munus vicarii imperii Genevae exercere. Berna illo tempore non se immiscuerat negotio. Iam vero Genevenses, iterum a duce episcopoque oppressi, Friburgum, Salodurum, Bernam, urbes confoederatas, precibus adierunt, simulque Lausanna — nam huic quoque urbi a ducis studiis cavendum erat — petiit, ut in trium urbium foedus reciperetur. Magnopere dissentiebant Bernenses: Civium pars maior acriter postulabat, ut

1) Cf. Ans. V, 443 sq.

urbium precibus cederetur, senatus contra, pagos caeteros respiciens, quorum intererat, ne nimis trium urbium foedus augeretur, et timens, ne cum duce graves susciperentur inimicitiae, resistebat. Itaque cum Friburgenses summo studio in faciendo foedere laborarent, et Genevenses ne pecuniis quidem parcerent, [1] quibus Bernensium animos sibi devincirent, senatus ita negotium trahere studuit, ut neutrorum animos a se abalienaret.

A Friburgo et Saloduro petiit [2] ne quid inconsulti in ea re decernerent: Non tempestivum sibi videri in foedus recipere Lausannenses, [3] benignius quoque iam a duce tractari Genevenses; [4] sed postero die Genevensium legati Bernam venerunt graviter de ducis iniuriis querentes [5]. Quem moderate agere iussit senatus [6] et alteram post alteram diem indixit, qua controversiae componerentur. Lausannenses cum episcopo reconciliavit, sed non stetit concordia. [7] Exeunte nov. de iuribus, quae Lausannae exercere dux postulaverat, in maiori senatu actum est: Utraque pars missis litteris se defenderat. Effectum est senatorum studiis, ut nil certi decerneretur nullaque conclusione discederetur, [8] sed paucis diebus post iterum convocatis civibus decretum est, ut cum Lausanna in 25 annos foedus fieret. [9] Sperasse senatores crediderim, tali moderatione se cum Genevensibus instans foedus prohibituros, sed spes eos fefellit: Cives in sententia permanserunt, et tam manifesta facta est discordia, ut Aargoviae oppida consilium inirent sive litteris sive per legatos magistratus ad unitatem revocandi. Quod consilium

---

1) Ans. contin. manuscripta p. 148: „mit gar on Salb.“ Cf. R M. 24. aug. 1526: „Ist das mer worden, das man die Schänk von den Jänffern empfachen sölle, vnd vssteyllen.“

2) 19. sept. Bern. ad Frib. et Salod. TMB. — 3) 22. sept. RM. 4) 26. sept. ad Frib. TMB. — 5) R ad C. a Muelinen 27. sept. TMB. 6) 7. oct. RM. — 7) Ans. VI. 346. — 8) RM. 207, 126. „Re infecta discesserunt, absque conclusione, res inaudita.“ — 9) 2. dec. RM, R&B.

praeoccupavit senatus litteris affirmando, se cum civibus „in perpetua unitate, pace, quiete" esse [1]). Cum ineunte febr. 1526 Friburgensium et Salodurensium legati Bernae de foedere agerent, iterum vehementissime Genevenses a maiori senatu petierunt, ut contra continuas ducis iniurias adiuvarentur. Preces eorum ad urbium legatos delatae sunt. [2]) Tandem senatus cessit, ita tamen, ut se intercessisse in actis perscribendum curaret. [3]) Postero die legati decreverunt, [4]) ut cum Genevensibus foedus fieret, quod ineunte mart. Bernenses per quattuor legatos Genevae iuramento confirmandum curaverunt. [5]) Frustra caeteri pagi obnisi sunt, neque quidqam eorum laboribus perfectum est, nisi ut eo magis contra omnes Helvetiorum conatus ipsorum negotiis sui immiscendi Bernenses excitarentur. In comitiis Eremitanis conquestus est dux, quod iura sua violata essent, et benignum tulit responsum; [6]) cum vero decem pagorum legati Bernenses foedus solvere iuberent, praecise id a senatu maiori eis negatum est. [7])

---

1) 13. ian. 1526. Stuerl. p. 30. — 2) 5. febr. R&B. RM. — 3) 7. febr. R&B. RM. „vnd sind auch die selbigen ufgenommen, doch hieby ingedenk, das sölichs die Rät ze thun sich gewidriget haben." — 4) 8. febr. RM. — 5) RM. 5. mart. R&B. — 6) Rad. Frib. 9. mart. TMB.

7) 7. apr. RM. R&B. Risum movet, quod Hallerus aliquot annis post „papistarum" studiis foedus cum Genevensibus factum esse dicit. v. Kirchhofer p. 223. Qui studiosissime in eo laborassent, a Johanne a Wingarten, strenuo illo reformationis defensore, cognoscere licebat. Cf. Ans. contin. m. sc. p. 148: „Da ein fürsichtiger Stadt Bern namlich Ir wyser kleiner Rath, vssgenommen der handfest Venner von Wingartten, in ansehen des Saffoyschen hertzogen Ires alten puntz, sich diss Burgrechtens widret, e vnd die spenn so zwischen dem hertzogen, vnd der Stadt hiengen, bericht weren. „Fieri non potest, ut Hallero perversius de negotio illo iudices. Zwinglius quoque magnopere de foedere gavisus est. Qui Thomam ab Hofen anno sequenti pro firmando foedere Genevam missum exhortatur, ut rem bene gerat: „Bene facis optime de optimis merendo: nihil enim sic florere cupio atque respublicas; hae enim ubi crescunt, tyrannorum audacia coërcetur." (Zw. ad Th. ab Hofen 4. ian 1527).

Non fugit pagos catholicos, eum qui tunc esset rerum statum non posse diutius conservari et ad discrimen vergere omnia. Quare duplicato labore ad talia consilia Bernenses perducere studuere, quae infecta reddi nullo modo possent. Ultimo die ian. 1526 eorum legati coram maiori senatu conquesti sunt, quod Turici et in Thurgovia Bernenses promisisse dicerentur, se pro Turicensibus vel vitae periculum subituros.[1] Tandem desisterent a moderatione sua, qua nihil efficeretur, nisi ut eo pervicacius Turicenses in sententia perseverarent. Non vim se Turicensibus illaturos, a quibus hunc solum in finem discordarent, ut a privatis consiliis desisterent eoque firmior fieret communis omnium pagorum concordia. Opportunum erat tempus: Intererat enim Turicum inter et Bernam de comitatu Novioburgensi controversia. Nihilominus senatus maior suum esse negavit de tam magno negotio decernere, priusquam praefecturae sententias dixissent.[2] Confestim quae legati postulaverant ad praefecturas delata sunt,[3] Turicenses amicis litteris placati.[4] Exeunte mart. coram maiori senatu perlecta sunt responsa.[5] Responderunt pleraeque, cum o m n i b u s pagis foedera servanda esse, aliae, tum demum a Turicensibus discordandum, si iteratis precibus nihil profectum foret; nonnulli Turicenses excusaverunt, immo aperte defenderunt. Itaque quae septem pagi postulaverant, prorsus negata sunt.[6]

Periculosum interea ludum lusit senatus. Per totum

---

1) Stuerler 32. 373. Prorsus idem narrat Salat. p. 378.

2) Stuerler 32. — 3) Ib. 153. — 4) 12. febr. ib. 32. — 5) Extant responsa apud Stuerl. p. 377 sq. cf. Zwingl. ad. Vadian. 7. mart. Audisti forsan, Bernenses tam Tigurinorum quam Helvetiorum petitiones ad universum totius ditionis populum reiecisse. Responderunt Burgdorphium et quaedam alia, quae adversarii speraverant adversum nos consultura secundum nos, nempe Tigurinis foedus undique servari debere sacrosanctum. Vis inferenda nullis etc. Iam a Bernensibus et Glaronensibus mitia et fidelia omnia expectamus.

6) 28. mart. R&B. Stuerler 34. 155. 156.

paene mensem mart. ne semel quidem cives convocati sunt. [1]) Qui iram diu coërcitam paschali tempore tribus hisce gravissimis rogationibus eruperunt: [2]) 1) Ut cives, si de aliquo negotio convocati essent, de omnibus fierent certiores, quae de ea re iam antea in senatu acta essent. [3]) 2) Ut tolleretur edictum de sacris factum. 3) Ut alio in futurum modo senatus eligeretur. Prima rogatio vicit, secunda et tertia reiecta est. In senatu quoque legendo senatoriae partes superiores evaserunt: Consuli mansit officium; in pandareti Kuttler locum suffectus est Conr. Willading, praeterea Kuttler in senatu permansit, in quem novi suffecti sunt Nicol. a Grafenried et Ant. Buetschelbach, quorum hic certe inter acerrimos erat reformationis inimicos. „Heimlicher a civibus“ contra electi sunt Joh. Bischoff et Joh. Jac. a Wattenwyl, quorum utrique reformatoriae partes maxime confidebant [4]).

Senatus cum tam prospere a civibus auctoritatem suam defendisset, mox plena victoria se potiturum speravit. A pagis catholicis enim disputatio indicta erat mense mai. de sacris Badenae habenda, quam in catholicarum partium versuram esse luce clarius erat. Ut certus esset eventus, Bernae postulatum est, ut quaecumque Badenae decernerentur se accepturòs omnes iam ante disputationem promitterent. Re-

---

1) Zwingl. ad Vad. VI. Kal. Apr. „Ex Berna litteras accepimus a fratribus cum piis tum magni nominis . . . . . postque Eremitana Comitia . . . . ad Diacosios nihil hactenus esse relatum. Vide nunc quid audeant Oligarchi atque Faber.“ Comitia Eremitana habita sunt ante 9. mart. cf. R. ad Friburg. 9. mart. TMB. 2) Altero die paschae, 2. apr. 3) RM. cf. Ans. contin. m. scr. p. 65 a. a. 1526: „Diss Jars Ostern haben der Luther vnd die Genffer, so kleinen gunst im kleinen rhatt hatten, ein Ordnung gemacht, dz alle des kleinen rhats Räth vnd meinungen, darumb die Burger versampt, den Burgren söltet geoffnet werden.“

4) Osterb. et RM. de Joh. Bischoff cf. Ans. contin. p. 49 a. a. 1527 „den nüwen Euangelischen Venner Bischoff.“ Ne confundas eum cum Ant. Bischoff, qui vel post disputationem veterem fidem retinuit. cf. Ans. ib. 268.

formatoriae partes, ad se spectare orationem ratae, vehementissime restiterunt [1]), et in maiori senatu atrocissimi tumultus secuti esse videntur. [2])

Nihilominus senatus suum propositum tenuit et minante adversa parte ac tumultante rem magnam gerere coepit. Ineunte mense sequenti praefecturae omnes iussae sunt missis in urbem procuratoribus quae de rebus novis sibi viderentur declarare. Ita descriptae litterae erant, ut quid responsi exspectaretur in aperto esset. [3]) Simul perfecerunt senatoriae partes, ut eadem die, quae praefecturarum legatis dicta erat, etiam septem pagorum legati Bernam convenirent. [4]) Omnia felicissime successerunt: In pleno utriusque senatus conventu, praesentibus civitatis urbanae et omnium praefecturarum legatis prodiit consul Lucernensis et strenua oratione Bernenses hortatus est, ut in veteri fide tuenda et septem pagis adiuvandis fortiter perseverarent. Quae si facerent, fieri posse ut Turicenses quoque ad ecclesiam reducerentur [5]). Praefecturarum quoque legati unanimi consensu in eandem descenderunt sententiam, nonnulli adiecerunt, tollendum esse in mandato 7. apr. 1525 facto caput IX., quod erat de purgatorio. Itaque decrevit maior senatus [6]) in edicto de sacris facto, in sacramentis, sanctorum veneratione etc. permanere, ut tolleretur cap. IX., ut qui libellos Lutheranos venum dedissent poena afficerentur, ut sacerdotes qui uxores duxissent, ni essent indigenae, ditione pellerentur, ut omnes omitteretur discordia, ne alterum alter Lutheranum, Zwinglianum, papistam appellaret, denique ut omnes qui aut in urbe aut in agro sive clerici sive laici essent, hoc decretum iureiurando confirmarent. Statim iuravit maior senatus.

1) Bullinger. — 2) RM. 30. apr. R&B. „Tumultuantes in duas partes abierunt. Res non prodenda memoriae hoc die accidit."

3) 4. mai. R. Stuerler 35. 156. — 4) „nit ohn Anleitung" Ans. VI, 356. „Durch künst berüfft und geladen," Bullinger 361. — 5) Ans. 357. — 6) Altero die pentecostes, 21. mai. Ans. VI. 355—360 Stuerler 35 sq.

Cuius decreti copia signo consignata septem pagorum legatis data est itaque septem pagi quasi vades accepti sunt.[1]) Eodem die novum edictum promulgatum est.[2]) Non vero unanimi consensu talia decreta erant.[3]) Intercesserant multi, obnitebantur praesertim quominus legatis copia traderetur[4]) multique irati a conventu discesserunt.[5]) Lugebant reformationis amici,[6]) gaudebant septem pagi,[7]) qui Bernam octavum factioni suae pagum adiunxisse sibi videbantur.

Eiusdem diei tempore pomeridiano decrevit senatus, ut Hallerus et Kunz, parochus Erlenbacensis, in disputationem Badensem proficiscerentur, quae eodem die haberi coepta erat. Comitaretur eques urbanus, redderentur impensae, si in disputatione superiores evasissent.[8]) Sed post duos dies lenius consilium initum est: Dati duodeni coronati, et Tillmann, Halleri amicus, comes constitutus est.[9])

Eodem die, quo catholicae partes insignem illam victoriam Bernae reportaverunt, Badenae disputatio haberi coepta est. Sic duae caussae convenerunt, quarum utraque talis erat, ut per se iam in multum temporis reformationis progressus inhibere posse videretur.

Iam priori tempore de omnium Helvetiorum concilio de sacris instituendo cogitatum erat. Anno 1523 Nic. a Wattenwyl[10]) huius consilii gesserat curam, in quod summo studio etiam Zwinglius intravit. Mox vero in adversae partis usum conversum est. Etiam atque etiam anno 1524 se cum

---

1) Stuerler 159. — 2) Ibid. 158. — 3) „Nach gehebtem unrüwigem Rath.“ Ans. 357. — 4) „Des doch vil eerlicher Lüten vast übel zu friden warend.“ Bullinger 361. — 5) Ibid. — 6) Vadian. ad Zwingl. 25. mai. — 7) „Hie Merkt man noch die Altten stöck zuo Bern,“ Salat. p. 436. Ingentibus porro laudibus idem effert „die alten frommen rechtverständigen Berner.“

8) 21. mai. R. Stuerler 36.

9) 23. mai. St. 39. R. Anselmus contra a maiori sen. illud decretum esse dicit.

10) Zwingl. ad Nic. de Wattenwyl 31. iul. 1523, in „Theol. Studien und Kritiken“ 1863, p. 539.

Zwinglio disputare velle Dr. Joh. Eck ad comitia Helvetica perscripsit.[1]) Ineunte anno 1525 episcopus Constantiensis eius rei mentionem movit,[2]) sed toto demum anno elapso res serio tractata est. Ne tum quidem expedita caussa erat: Statim in primis comitiis intercessit Berna, ne Badenae disputatio haberetur;[3]) Badenam enim, commune dominium, elegerant septem pagi, ubi ipsorum valeret in disputatione auctoritas. Turicenses, quos adesse septem pagorum maxime intererat, inde ab initio negotio se subtraxerunt, Bernenses, omissa illa de loco dubitatione,[4]) religioni duxerunt, quod non papa vel imperatore auctore tanti momenti res inciperetur.[5]) Quam rem ex reformatoriarum partium malignis contentionibus ortam esse manifestum est. Sed septem pagi in sententia permanserunt, itaque in comitiis Lucernensibus[6]) a maiori parte decretum est, ut inde a 16. mai. Badenae fieret disputatio. Plures legati, Bernensis quoque, non sibi a suis praecepta data esse praetenderunt, sed exeunte mart. Bernenses cesserunt[7]), et mense sequenti quod Lucernae decretum erat, confirmatum est.[8])

Medio maio Helvetiorum legati Badenam convenere iterumque persuadebant Turicensibus, ut disputationi interessent. Sed frustra litteris ad Zwinglium datis publicam interposuerunt fidem, frustra vel praesidium se ei daturos polliciti sunt[9]). Nec sane magna divinatione Zwinglio opus

---

1) 17. Aug. 26. sept. 1524. (Ans.) deinde 28. oct. 1525, cf. Hottinger II, 78.

2) 10. ian. 1525. ibid. 79.

3) Stuerler p. 31.

4) 31. ian. Stuerl. ibid.

5) Stuerler 291. Faber comitiis interfuit. Cf Ans. VI, 362.

6) 20. mart. Stuerler 293. Hottinger II, 80 falso dicit, 13. mart. decretum factum esse.

7) Stuerler 34., 28. mart.

8) 15. apr. Ans. VI, 363.

9) 12. mai. Ans. 370. — Attulerunt nonnulli, quamvis fide publica

erat, ut disputationem eam fore cognosceret, quam fuisse eam res ipsa docuit, lusorium certamen a septem pagis institutum, cuius qui foret eventus, iamdudum certum erat ac deliberatum. Itaque cum septem pagi summo studio in eo laborarent, ut Turicenses quoque partium reformatoriarum cladi implicarentur, non minus, ne usquam irretirentur, Turicensium intererat. Iam aegre tulerunt, quod Zwinglius sub certis quibusdam conditionibus, quas tamen nullo pacto septem pagos concessuros manifestum erat, se affore disputationi pollicitus est. [1])

---

data, expectaudum fuisse, ut Badenae vitae periculum Zwinglius subiret. Ea se ratione commotum fuisse pluribus locis ipse Zwiuglius testatur, amici quoque promissionibus septem pagorum diffidebant. Cf. Tremp ad Zw. m. mart. 1526. Oecol. ad Zw. 23. mai., veuiret Badenam, sed quinquaginta hominum praesidium et „propria edulia“ secum ferret. Gratulatus est postea, quod uon venisset: „denn wie inu die sach ansähe, were er kummeu, so werind sy mittenandren verbrent, oder sunst ermürt, dardurch (zu sorgen) gross Krieg entstanden wereud.“ (Bullinger 351.) At violanda fide septem pagi nou perfidissime solum sed ineptissime quoque egissent, nec quidquam impetrassent, uisi ut mediae factionis pagos, Bernenses praesertim, prorsus a se abalienarent. Ex legatorum numero Badenae praesentium C. a. Muelinen se siue dolo egisse affirmat. (C. a. Muel. ad Bern. 15. mai. Kirchl. Angel. II.) Summa Zwinglii ratio certe alia fuit. Quid Badenae faceret, ubi septem pagorum auctoritas, ubi Eckii, Fabri, Murueri sibi iuimicissimorum consilia valereut, cum vel Saugalleuses eo perducere uiteretur, ut a disputatioue se removerent? Qualem ipse sibi disputationem fingeret, apertissime professus est litteris iam anno 1523 ad Nic. de Wattenwyl datis. Postulat enim, ut sacrae scripturae uua siut disputandi norma, quae tamen erat totius controversiae caussa fere principalis. Quod etiam minus potuere coucedere septem pagi, quam ut Bernam aut St. Gallum disputatio transferretur.

1) Zw. ad Vadiau. 22. apr. „Baden etiamsi vellem, uon permitteret populus Tigurinus; aegre tuleruut multa senatus pars, quod me Bernam aut St. Gallum obtuli iturum esse. Videtur et vobis congruere, ut pagis adversariis quid simile respondeatis: Fuisse vos semper iu Disputationibus Tiguri; ibi satis doctos esse, uec habere opus latiore Disputatioue etc. etc., nisi alius locus eligatur.“

Nihilominus in vigilia pentecostes — 19. mai. 1526 — habita ab abbate Engelbergensi oratione, disputationis initium factum est. Dr. Eck theses promulgavit, de quarum prima disputari coeptum est secundo die pentecostes. Disputavit Eck per plures dies cum Oecolampadio, inter paucos, qui ex reformatoria parte aderant, longe doctissimo. Quae res dum agitur, Hallerus quoque Badenam venit et duorum dierum spacio interposito eorum numero se ascripsit, qui se contra secundam thesem — quae erat de sacrificio missae — disputaturos promitterent.[1]) 30. mai. cum Eckio disputare coepit. Licet initio aliquantisper obstupefactus[2]) magno isto ac luculento conventu, melius tamen ab adversario exercitato et expedito se defendit, quam crederes in homine modesto, mediocriter erudito, nec saepe in disputationibus versato. Cum vero Eckius ad primam thesim declinaret et interrogaret Hallerum, quid sentiret de sacramento altaris, in summas Hallerus angustias perductus est. Bernae enim sanctum erat, ne quis contra septem sacramenta disputaret, Hallerusque caverat, ne nimis libere sententiam proferret. Iam vero veritus est, ne, si publice Oecolampadii sententiae adstipulatus esset, inimicis violasse mandatum videretur.[3]) Quare praetendit, non sibi praeceptum esse de aliis rebus rationem reddere, nisi quae in suggestu pronunciasset; quandoquidem nunquam impugnasset, quae Eckius prima thesi defenderet, se cogi posse negavit, ut quid sentiret profiteretur. Cum Tillmann quoque comes praesentibus Helvetiorum legatis huic sententiae accederet, Hallero facultas data

---

1) Hall. ad Anselm. 11. iul. 1526.

2) Hall. ad Vadian. 20, iun.

3) Hall. ad Ans. „Indem — ante coeptam de thesi secunda disputationem — ward ich gewarnet von einem guten Gsellen, so ich disputirti, wurd ich meineidig gscholten, coniuraverant, enim Bernates se mansuros apud mandatum tot articulis etiam in tua presencia congestis.“ (congestum?)

est continuandae disputationis, simul vero misso legato a Bernensibus petitum, ut libera daretur Hallero facultas de quibuscumque rebus sententiae proferendae. C. a Muelinen quoque ad senatum retulit, [1]) qui confestim Hallerum nulla mandati illius ratione habita sua defendere iussit. Ad Helvetiorum legatos et C. a Muelinen idem perscriptum est. Sic prima illa caussa adempta novas Hallerus arripuit: Non inde ab initio se interfuisse disputationi nec suum esse iam certum de prima thesi iudicium proferre, non sibi praeceptum esse, ut de aliis rebus disputaret quam quas in suggestu protulisset et alia eiusmodi; [2]) sed contra thes. 3. 4. 5. — quae erant de cultu imaginum, veneratione sanctorum, purgatorio — se velle disputare. Quo reiecto legati domum eum dimiserunt et ad Bernensium senatum retulerunt vehementissima adiecta vituperatione. Idem fecit C. a Muelinen. [3])

Iam per aliquot dies post Halleri abitum disputatio continuata est. Deinde Helvetiorum legati, mirum in modum disputationis et comitiorum eodem tempore habitorum eventus eodem scripto comprehendentes [4]), constituerunt, ut in veteris ecclesiae et fide et cultu maneretur, contra eius adversarios intercederetur, ne cui liceret concionari, nisi ab episcopo examinatus huius rei facultatem nactus esset, denique ne quis ante datam a magistratu veniam ediret libellos. Prudenti temperantia praeterea statutum est, ut usque ad

---

1) 3. mai. K A II. Legatorum epistolam et Bernensium responsa v. apud Stuerlerum.

2) Veram rationem ipse Hallerus affert ep. ad Anselm. (ap. Stuerl. p. 578): „Indem kam der Bott von Bern, so die Eidgnossen geschickt hattend von minentwägen, und bracht den Eidgnossen, ouch mir, Brief, ich söllte mich schlechtlich erlütren, worinn ich ersucht wurde, das doch mir zu schwär und ecclesie mee nachtheilich wäre gsin."

3) 2. iul. KA II.

4) Abscheid des gehaltnen Tags der Disputation zu Baden. Stuerler 295.

proxima comitia in die festo S. Joh. Bapt. habenda concionatores Lutherani in pagis omnibus a sermonibus abstinerent, sed ab omnibus quoque iniuriis usque ad id temporis defenderentur.

De Hallero actum esse videbatur. Quamquam se ipse suisque factis contentus erat, neque amici carminibus et prosae orationi parcebant, quin laudibus eum efferrent. [1]) Neque eum, qui sine praeiudicata opinione rem intueretur, fugere potuit, Hallerum de prima thesi cum adversario confligere ne ausum quidem esse. Procul dubio senatus promptissimo animo erat ad eum pellendum aut certe ad munus demendum, sed veritus ne in plebe seditiones fierent [2]) exspectabat, donec incitati animi sedarentur. Itaque Badena rediens bene Hallerus susceptus est, iussitque eum senatus secundum mandatum conciones instituere, [3]) quod post decem dies a maiori senatu [4]) confirmatum est. Laeto animo his ipsis diebus Hallerus scripsit ad Vadianum: „Berna semel cecidit, sed hoc casu graviori iam factum est, ut fortius resurgat fortiusque statura sit quam hactenus unquam.“ [5]) Non animadvertebat impendentem tempestatem: Praeter expectationem 25. iun. ad senatum et sexaginta vocatus est [6]) — in quo collegio facile crediderim plus quam inter cives universos valuisse senatus auctoritatem — et, quod iam per

1) Vadian. ad Hall. 13. iun. „Eximium trophaeum et spolia ampla te retulisse a Baden omnes clamant, et congaudent praeter opinionem id Eccio sophistae contigisse, ut, quem tanta confidentia velut victum traxit in arenam, ab eo ipso sit omnium calculo non victus modo sed etiam pudefactus.“

2) „Vnrüwiger gemeind vor ze sin.“ Ans. cont.

3) 8. iun. Stuerler 41.

4) 18. iun. ibid.

5) Hall. ad Vad. 20 iun. Eodem die Oecol. ad Zw.: „Profuit hic (Basileae) nobis, Bernates tam dextre in Bertholdo suo egisse.“

6) Hall. ad Ans. 11. iul. (Stuerler p. 579), cf. Ans. contin. m. scr. p. 19.

sex menses omiserat, missam celebrare iussus. Aegre obtinuit, ut ad maiorem senatum caussa deferretur: Ab eo enim sibi canonicatum collatum esse, quocum coniunctum esset missae celebrandae officium. Postero die convocatis civibus de Hallero deliberatum est, qui in atrio remansit. Sed tantus subito in aula tumultus exortus est, ut qui extra aulam stabant iam caedes fieri suspicarentur. [1]) Itaque cum praeco — der Grossweibel — ostium aperiret, ut Hallerum intrare iuberet, auxilium eum petere existimatum est, et ingens multitudo ad curiam concurrit, ut patrum animos mitigarent et concionatorem, quem vitae periculum subire arbitrabantur, defenderent. Simultate composita Hallerus in aulam vocatus est. Cum missam celebrare iterum praecise recusaret, canonicatu orbatus, sed concionandi munus ei constitutum est. In huius laboris praemium liberas aedes, octogenos per annum florenos, certa vini frumentique stipendia accepit. Quam antea habuerat praebenda per biennium ei soluta est. [2]) — Narrat ipse Hallerus, defensione sua adeo omnium commotos esse animos, ut vel adversarii lacrimas funderent ipsique „uno consensu senatus et ducentorum, magno totius civitatis applausu“ concionandi munus confirmaretur. Haec vero ad Anselmum perscribens aut mendacium fecit aut, cum in aula deliberatio fieret, adeo ipse commotus fuit, ut, quae agerentur nullo modo perspiceret. Revera enim nec flexi sunt adversariorum animi neque unanimis fuit consensus [3]): Permulti,

---

1) Hall. ad Ans. 11. iul. (Stuerler p. 579), cf. Ans. contin. m. scr. p. 19.

2) Ans., Hall. ad Ans., Zw. ad Vadian. 3. iul. cf. Stuerler 42. 166. Sed falso apud Stuerlerum scribitur p. 42 „all Fronfasten 10 Gulden.“ Cf. p. 167. Magnopere Zwinglius gavisus est: „Berna firmior est post disputationem facta quam antea fuerit“ (ad Conr. Som. 2. iul.). „Nam pro evangelio feliciter certatum est 26. die Iunii“ (ad Vad. 3. iul.)

3) Ans. cont. m. s. p. 21: „Nun ab disem Beschluss wurden etlich der burgeren so widerwertig, das sy vom Rath hinuss Ir Eid vnd

qui catholicas sequebantur partes, violatum esse iuramentum clamitabant in festo pentecostes datum, qua re se civitatem amittere cogi. Lud. a Diesbach et Ant. ab Erlach, qui propter contentionem quandam, quam cum nonnullis e gente Wattenwyl habuerat, priori die revocare damnatus erat, [1]) expostulaverunt, ut iuramento, quod in magistratus Bernensis obsequium dedissent, liberarentur. 28. iun. [2]) ad senatum vocati sunt, qui postero die liberare eós recusavit. [3]) Eodem die maior senatus convenit. Quae 26. iun. de Halleró decreta erant confirmavit et, qui similia ac tribus diebus ante temptaret in posterum, se loco moturum esse minatus est. [4]) 6. iul. qui 26. iun. conventu discesserant, ad maiorem senatum vocati sunt. Cum venia daretur subsellia recuperandi, maior pars — fere triginta — cesserunt, alii contra in sententia permanserunt [5]). Mense sept. [6]) iterum venia eis oblata est, si se deliquisse profiterentur, sed ne tunc quidem cesserunt omnes. Iam mense mart. [7]) anni sequentis de ea re actum est. Duo certe a proposito non deterriti sunt, L. a Diesbach et Ant. ab Erlach, qui patria potius quam honore et fide amissa Lucernam migravit [8]). Sed catholicae factionis conatus civium voluntatis pertinacia infringendae ad irritum redactus erat.

Mussitabant factiones, neve apertae seditiones exoriren-

---

burgerrecht vfgebend, fürwendende, das von des Luterschen frömden pfaffen wegen, in des pfingstmentags Eid gelochet wurde, darby sy nit me wöltid sitzen."

1) R&LX. RM. — 2) R. RM. „by Ratzbott vnd Eyd". — 3) 29. iun. R. Stuerl. 42 — 4) ibid. — 5) Stuerl. 44, Ans. cont. pag. 22. 23. — 6) 3. sept. RM. „haben min herren angesächen, das wenn nächst die Burger zusammenkommen die so Ir Burgrächt vffgeben beschickt, vnd wann Sy sich erkennen vnd gnad begären, Inen verzigen waerde." R. — 7) 7. mart. 1527. Erstmals berürend die so Ir Burgrecht vffgebenn, söllen daussen beliben byss vff den Hoh Donstag. RM. — 8) Ans. cont. pag. 22.

tur maior senatus in tabernis et collegiorum domibus congregationes fieri vetuit. Conventus quoque, quos veterem fidem retinentes in fratrum praedicatorum, in minoritarum coenobio novam doctrinam amplexi habere solebant, prohibiti sunt.[1])

Repentina ista quam modo narravimus mutatio documento est, artificiis luculentam illam a factione catholica victoriam reportatam esse, sed documento non minus, quanta audacia, quanta exercitatione catholicae partes usae sint. Primam istam iteratae clades secutae sunt. Quamquam, si de iure quaerimus, etiamtum oppressa erat nova doctrina, retinebatur mandati ac iuramenti prioris species, eodemque die quo Hallerum tutatus est decrevit senatus maior, ne solveretur iuramentum nisi cum praefecturarum consensu.[2]) Neque omisit senatus quae de coniugio clericorum et de ieiunio constituta erant exsequi, sed magis magisque apparuit, omnia ista ex studiis manare mox perituris. Cum episcopo Constantiensi continuas habebant Bernenses controversias. Ineunte anno 1526 iterum sibi reservarunt facultatem de rebus matrimonialibus iudicandi,[3]) episcopus cum clericos quosdam — Zwinglianos concionatores eos fuisse crediderim — Constantiam venire iuberet, ut rationem redderent, ab urbe repulsam tulit,[4]) cumque praepositum Zofingensem propter foeda, ut videtur, facinora in vincula coniecisset, graviter de ea re irati per plures menses Bernates cum eo expostulaverunt:[5]) In litteris certe urbanorum urbanitatem

---

1) 29. iun. R&B. Stuerler 43.

2) R&B. 26. iun. Stuerler 42. Confirmatum est id decretum 29. iun. ibid.

3) 2. ian. 1526. TMB.

4) 12. iul. R&B. Stuerler 44. „Ir Pfaffen wellend min Herrn nit gan Kostantz schicken, sonders sölle der Bischoff Acht haben, der die Pfaffen wiche, dass Si genuogsam syen.“ (!)

5) Bern. ad episc. 3. iul. TMB.

omnem desiderabis. Exeunte oct., — nulla videtur episcoporum sive pontificis ratio habita esse — plures dies festi abrogati sunt.[1])

A septem pagis quoque magis magisque Bernenses abalienati sunt. Quam antea praestiterant indulgentiam iam pertinacia compensaturi videbantur. Ut aperta fieret a Turicensibus discessio, septem pagi in eo laboraverunt, ut iusiurandum foederis Helvetici redintegraretur. Fore enim sperabant ut Turicenses reiicerentur.[2]) Bernenses contra, ut concordiae species tamen retineretur, propter gravia tempora iusiurandum in anni tempus proferendum esse censere[3]) neque necessitudines, quae sibi cum Turico intercederent, violari passi sunt. Quamquam comitia Badensia[4]) in eo permanserunt, ut statim renovaretur iusiurandum, studiosissime tamen obnisi sunt Bernates[5]) neque, cum septem pagi aperte Turicensibus praestare iuramentum recusarent,[6]) a proposito deterriti sunt: 29. iul. maior senatus coram omnium pagorum legatis foedera Helvetica iuramento firmavit.[7])

Iam maior facta est abalienatio alio quodam negotio, quod, per se exiguum, alterius partis tarditate et imprudentia, alterius iracundia principalis factum est quaestio. Dico acta disputationis Badensis prelis excudenda. Non intelligeres, levem istam caussam tanti fuisse discriminis, nisi considerares, quam incitati essent omnium illo tempore animi. Iam ante disputationem Zwinglius vehementissimis epistolis ad Fabrum datis promulgaverat, ingentibus pecuniis ab illo Helvetios corruptos esse,[8]) similia coram Glaronensium coe-

---

1) 24. oct. R&B. Stuerl. 46. 171.
2) Ans. cont. p. 24.
3) Stuerler 41.
4) 25. iun. Stuerler 296.
5) 12. iul. R&B. Stuerler 44.
6) 18. iul. Stuerl. 298. Cf. Salat. p. 438.
7) RM. 210, 90.
8) Bullinger 312. Cf. Ans.

tu [1]) publice prolata sunt, deinde in ditione Bernensi in omnium ore erat, Helvetios in opprimendum evangelium 6000 florenorum accepisse [2]).

Post disputationem mirum in modum undique libelli provenerunt carminaque famosa, [3]) in sola urbe Bernensi quinque venumdabantur, [4]) et a senatu ne publice ea decantarentur interdictum est. [5]) Cum catholicae partes vicisse se Badenae affirmarent, idem facere haudquaquam omisit factio adversa. Sed novas vires animorum incitatio acquisivit ex incredibili illa tarditate, qua in excudendis actis septem pagi usi sunt. Comitia, quae eodem tempore quo disputatio, facta sunt, decreverant, ut quinque actorum exemplaria a notariis iuramento obstrictis conscripta apud praefectum Badensem in tempus deponerentur. [6]) Sed statim [7]) maior senatus Bernensis expostulavit, ut sibi unum committeretur. Gravis ea et acerba rogatio fuit, quam merito aegre ferentia proxima comitia reiecerunt. [8]) Tantum vero aberat, ut septem pagi acta illa, quae natura sua ab omnium notitia nullo pacto se subtrahere possent, confestim prelis mandarent, ut diem ex die, mensem ex mense ducerent. Primo iussus est scriba Lucernensis copiam facere, [9]) deinde 1. aug. [10]) multum ac diu deliberatum est, „dass es nit gut

---

1) Ans. 370.

2) R ad C. a Muelinen de Joh. Kallenberg Aaroviensi 27. mai. cf. RM. 18. aug.

3) Quibus praeiudiciis in Baden Helvetiorum sit disputatum. Item septem conclusiones D. Joh. Eckii cum responsionibus Hulderichi Zwinglii. — Ein hüpsch lied von der Disputation zu Baden (auctore Nic. Manuel? cf. Bullinger 360). aliud carmen ap. Bulling. 357. cf. Hall. ad Zw. 16. oct. Hall. ad Vad. 24. dec. 26.

4) Grueneisen p. 46.

5) 22. dec. R. St 46.

6) Stuerler 295.

7) Ibid. 41.

8) Ibid. 296. 25. iun.

9) Stuerler 296. — 10) Ibid. 298.

noch nutzlich sig, sölich Buch usgan zu lassen, es sig dann vor ein Erklärung und Erlütrung darüber gangen und ein entlicher Entschluss, was unser Eidgnossen Meinung sig, welcher Theil die h. G'chrift recht verstand, und die recht usleg." Irritati sunt Bernensium animi,[1]) quorum preces etiam repetitae reiectae sunt. 16. aug. senatus mandavit[2]) legato Badenam abeunti, ne amplius cum caeteris legatis de excudendis actis consuleret, ni statim sibi daretur exemplar. Sed novam tulit repulsam. Cum vero Thomae Murner, concionatori Lucernensi et reformatoriarum in Helvetia partium inimicissimo acta excudenda commissa esse innotesceret, eo magis adversa pars exacerbata est.

Murnerum enim acta depravata editurum inter omnes constabat.[3]) Quamquam postea falsas fuisse omnes eius modi suspiciones apparuit,[4]) facile tamen est intellectu, quantum valuerit ista septem pagorum imprudentia, ut adversarii aut

---

1) „Dann nun auch hatt der Haller — seinen Herren die Ohren gezopflett Vnd sy inn Widerwillen gefüohrt v̈ber gehaltne Disputatz, dr gestalt alss ob sy anderst vffgezeichnet als geredt wär, so vill daz sy ietz zur allen tagen treffentlich Erforderett — man wolte inen der geschriebnen Büecher einss so doch die geschwornen notary gemacht, Vnd collationiert waren zuo handen geben, denn sy sonst khein Anders habend noch Nemmen wolten." Salat. p. 441.

2) R&B. St. 45.

3) Capito ad Zw. 7. iul. 27: „Hic certe in pretio esse non potest (disputatio), quod Murneri manus eam contaminavit." Hall. ad Vad. 24. dec. 26: „Utcunque acta cudantur, vertantur, invertantur, pervertantur, verbum Domini manebit in aeternum." Cf. Zwingl. ad legatos Bern. Badenae versantes ineunte a. 1527. Risum movent quae ex septem pagorum tarditate famae ortae sunt: Oecol. ad Zw. 9. nov. 1526. „Certum est disputationem impressam" (quae non ante med. ann. 1527 prodiit). Id. ad eund. 1. dec. „Adhuc constans fama est, Disputationem Badensem depravatissime impressam Tubingae, solis adversariis nostris, sub arctissimo sacramento communicari."

4) v. Hottinger Gesch. d. E. II, 84. Oecol. ad Zw. 7. iul. 1527. „Ipse certe, si deesset praefatio et appendix, eam nec probare nec reiicere possem." Id. ad eund. 19. iul. „Negari non potest, exemplaria

de depravandis actis eos agere aut ne omnino non prodirent timere suspicarentur. Apud Bernenses certe, sive ne acta depravarentur timebant, sive timere sese simulabant, crevit septem pagorum odium, nec mitigati videntur eorum animi, cum litteris 5. oct. ad Lucernenses datis [1]) conquerantur, quod Lucernae a quodam dictum esset: „Ir fulen Berner, ir hand einen fulen Glauben.“ Qua re Hallerus qui se quoque Murnero diffidere testatur magnopere delectatus est. [2]) Saepius repulsus tandem [3]) maior senatus declaravit, si in actis ulla fieret Bernensium mentio, se publice intercessuros, legatisque qui Lucernam proficiscebantur mandavit, ut, ni a septem pagis id concederetur, statim a comitiis recederent. Comitia vel, ut rectius dicam, septem pagi, in summas angustias perducti sunt. Promiserunt legatis, nec Bernensium auctoritate proditura acta neque in praefatione eorum mentionem fore, sed ut omnino de eis taceretur fieri non posse. [4]) Quo responso accepto legati abierunt. Sed Bernenses quoque se nimios in ea re fuisse intellexerunt itaque permiserunt 9. ian. 1527, ut, nisi praefatio aut epilogus adderetur, et prodirent acta et Bernensium in eis fieret mentio. Si vero

---

magna incuria excusa, et confusiora, sed periculosa falsatio et depravatio non statim deprehendi poterit.“

1) R. Stuerl. 45.

2) Hall. ad Zw. 17. dec. 26. „Spero equidem Bernates non accepturos nisi addito Originali, cum quo saltem impressum conferre liceat.“ Id. ad Vad. 24. dec. 26. „Nolunt Bernates, ut urbis nomen aut senatus quovis modo huic foeturae addatur. Recusant acta prelis excusa, et apud scripturam veteris et novi testamenti se mansuros aperiunt.“

3) Instruct. 26. dec. 26. R&B. Stuerler 46.

4) Abschied Luzern 29. dec. St. 302. „Dann wer ein wari Geschicht und Histori beschriben und usgan lassen will, der muss das in Warheit beschriben, wie es ergangen ist; es wirt darum nit gesetzt, dass es in sinem Namen usgang.“ Praeterea polliciti sunt praefationem et appendicem transmittere, de quibus Bernenses iudicium ferrent.

vel unum praeter ipsa acta verbum excuderetur, se intercessuros iterum minati sunt. [1]

Cives sibi diffidere ratus senatus per annum 1526 maiora consilia inire non amplius ausus erat. Maior senatus enim iam 24. iun. [2] Lucernam precibus adierat, ut sibi nominarentur eorum nomina, quibus auctoribus in festo pentecostes septem pagorum legati Bernam venissent. Dilucida ea fuit admonitio, itaque eo fere contentus erat senatus, ut ab eis qui veterem fidem contumeliis afficerent poenas caperet. Maxime praeterea libellos petiit, qui a Zwinglianis permagno sane numero pervulgabantur. Exeunte iun. [3] denuo contra eos intercessum est et a Turicensibus, e quorum urbe maxima institorum pars Bernam veniebat, petitum, ut ei rei finem imponerent. [4] Duobus post mensibus Kunz parochus, qui cum Hallero Badenae fuerat, Zwinglio se timere perscripsit, [5] ne domus perquirerentur, nec poena carituros eos qui postremum edictum praetergressi essent. Hallero negotia senatus facessebat. Iussit eum ex suggestu promulgare quae contra libellos decreta erant, [6] interrogatus est, cur tandem dies sanctorum et pompas solemnes, [7] quibus sacrae cruces praeferebantur, non amplius in ecclesia pronunciaret, ante omnia adversarii prohibere studebant, quominus ab altero concionatore advocato adiuvaretur. Etiamtum enim Hallerus a nemine adiutus, sed nullo quoque concionatore adversante faciebat sermones. Anabaptistarum studia repressit senatus pulsusque cum uxore Jac. Hochruetiner. Iam cogitavit Hallerus de coena Domini missae loco instituenda et de tollendis anniversariis [8], ex maioris senatus decreto

---

1) R&B. St. 46. 173.

2) Ib. 165 R&B.

3) 30. iun. St. 43.

4) Eod. die. St. 168.

5) Kunz ad Zw. 24. aug.

6) 30. iun. Stuerl. 44.

7) Ibid. — 8) Hall. ad. Zw. 16. oct.

quinquies per hebdomadam praedicavit.[1]) Eo magis carebat collega. Nemo erat in urbe quem isti officio idoneum iudicaret; cupiebat ut vocaretur Meyerus aut Franciscus Kolb, qui priori tempore Bernae concionator, deinde Augustae Vindelicorum carthusianus, postremó ad reformationis partes transgressus erat.[2]) Sed et in ea re et in vócando ludimagistro — prior m. oct. pestilentia perierat, cupiebatque Hallerus, ne quis in eius locum sufficeretur, nisi qui suas sequeretur partes — restiterunt „oligarchi." — Qui ne tum quidem consilia ad pristinum statum omnia reducendi missa fecerant, exspectabant, donec rusticorum suffragiis et septem pagorum auctoritate adiuti repetere possent, quae 21. mai. 1526 facta erant. Iam vero quibus audacior inerat animus aperte in senatu maiori contra Joh. ab Erlach consulem coorti[3]) libereque a Turicensibus standum, abrogandam missam professi sunt.[4]) Laeto animo exeunte anno 1526 Hallerus ad Zwinglium[5]) scripsit: „Sic verbum Dei quotidie crescit, ut non credam, Diacosiorum decreto quippiam posse in contrarium agi." Similia sunt quae nunciat Vadiano.[6])

Melius Zwinglio amicisque eius cesserant omnia, quam ante paucos menses vel per caliginem potuerat exspectare. Ineunte anno 1527 scribit ad Hallerum: „Nobis ergo cum rerum istarum aliarumque omnium conditor Deus, cui militamus, ostium adperuit, per quod in hostium castra nullo negotio possumnus, rem segnius obeundam esse putamus? Non arbitror, nisi ventis sumus leviores. — Aculeos ac hamos sic in mortalium pectora demitte, ut evomere etiam si velint

---

1) Hall. ad Zw. 17. dec. — ad Vad. 24. dec.

2) Hall. ad Vad. 19. apr. 1527.

3) 16. nov. 1526 RM. R&B. „Sol fürhin wie bysshar der Schultheis, so er von Einem Burger oder mer gemahnt wurde, aldann vffstan vnd hiningan."

4) Zw. ad Oecol. 29. nov.

5) Ad Zw. 17. dec.

6) Ad Vad. 24. dec.

non possint." [1]) Nec sine caussa adeo gavisus est: Ne in agris quidem occultum remanserat, magnam Bernae factam esse mutationem; cum in praefectura Schenkenberg nuptiae quaedam celebrarentur, in maiori senatu Bernensi non ultra 35 homines veterem fidem retinere dictum est. [2]) Prorsus debilitata erat episcoporum potestas: Cum Constantiensi de praeposito Zofingensi, [3]) de primitiis redituum pontifici pendendis cum Lausannensi [4]) controversiam Bernenses exercebant, cumque parochi vicorum Olon et Bex in praefectura Aelen sitorum mandato cuidam [5]) episcopi Sedunensis obsequium praestitissent, eius rei rationem reddere iussi sunt. Magis magisque a septem pagis quoque Bernenses se removerunt. „Dan die Berner schicktend sich dermassen, daz man woll gespürt die Nüv sect inen Vass anmüttig sein, warend nun gantz Spitzig vnd kutzlig, deshalb by den 7 alten Orthen Zwar gros Verdrus was." [6]) Ineunte ian. [7]) cum Lucernensibus conqueri coeperunt, quod a civi quodam Lucernensi iam propemodum haeretici esse ac fures Tigurinorum more dicti essent. Eo usque negotium processit, ut in comitiis Lucernae habitis Bernenses per legatos nunciarent, se in eiusmodi rebus non amplius sumptuosas actiones instituturos, sed, si quis sibi iniuriam affecisset, eum se ubicunque comprehendere possent captum multaturos esse. [8]) Senatus quoque a civibus denuo verberatus est: 23. ian.

1) Zw. ad Hall. 4. ian. 27. cf. id. ad Th. ab Hofen, eod. die.

2) Ant. Bischoff praefectus Schenkenberg. ad magistr. Bern., die Merc. a. Valent. (KA II.)

3) Ad episc. m. febr. 27 (TMB. Q 176 b), ne diutius propter „tam ridiculos articulos" praepositum in carcere contineret.

4) 26. ian. RM.

5) 22. febr. RM. — R. ad Johannem de Bès 22. febr. apud Herminjard Corresp. des ref. des pays de langue Franc. II, p. 14.

6) Salat. p. 453.

7) 4. ian. Stuerl. 172.

8) Instruct. 25. ian. RM. — Abschied Luzern 31. ian. Stuerl. 307. Cf. Salat. 453, Tremp ad Zwingl., dominica ante purif. Mar.

enim maior senatus decrevit, ut, si quis propter res ad fidem pertinentes ad exsilium aut ad palum — nostra lingua Pranger — condemnatus esset, semper ad maiorem senatum provocare liceret.[1])

Cum Turicensibus contra Bernates vivebant concordissime. Audaciores facti Bernensium litteris, quibus septem pagorum nimia acerbitas reprehendebatur,[2]) Turicenses mediae factionis pagos in comitia Turici habendae invitaverunt. In maiori senatu Bernae de ea re actum est. Nonnulli ea conditione adeunda comitia censere, ut omnes pagi invitarentur, sed pars multo maior decrevit, ut sine mora legati mitterentur.[3]) Itaque 4. febr.[4]) Bernae, St. Galli, Basileae, Scaphusiae, Abbatiscellae „legati — recusaverant Glaronenses — Turicum convenere. Graviter conquesti sunt Turicenses de septem pagorum iniuriis atque superbia, et mediae factionis pagos apud adversam partem id agere iusserunt, ut pagi catholici et Turicenses in fide sua manere et in communibus dominiis novam doctrinam praedicari paterentur. Aegre id tulerunt septem pagi. Ex comitiis Lucernensibus[5]) rogaverant Bernates, ut in 12. febr. praefecturarum procuratores in urbem convocarent, se quoque ad ea comitia legatos suos missuros. Non vero cesserunt Bernates rogationi, neque quidquam septem pagorum legati impetrarunt, nisi ut maior senatus in mandato suo se permansurum polliceretur: Levis sane promissio[6]). Simul de excudendis actis denuo legati interrogati sunt. Cum vero altera comitia mediae factionis pagorum Bernae habita essent,[7]) et eorum legati in Turicensium favorem intercede-

1) R&B. RM.

2) Bern. ad Turic. 12. ian. TMB.

3) Bern. ad Tur. 27. ian. RM R&B. cf. Leonh. Tremp ad Zw. 27. ian. — 4) Stuerler 177.

5) 31. ian. St. 307.

6) 14. febr. R&B. Stuerler p. 47.

7) Bernensium invitatio 10. febr. St. 176.

rent, septem pagi consilium inierunt non minus inutile quam periculosum. Etiam a vallis Haslensis incolis intercedere rogati praecise a Bernensibus expostularunt, ut convocarentur praefecturae. Adiectum erat, ni rogationi cederetur, „so würden wir geursacht, dass wir unser grossen Notturft nach die Vewern in Stett und Landen und in üwern Emptern aller Handlung und alles dess so uns je begegnet und angelegen ist, in etlichen Weg wurden underrichten, damit si und menklich vernemen und merken könnten die rechte Wahrheit, wess Willens und Gemüts wir bisher gewesen und noch sind.“ [1])

Sed aegre tulerunt Bernenses, suo imperio ab alieno pago quidquam detrahi; 7. mart. maior [2]) senatus consedit; primum mentio facta est de Thomae Murneri „haereticorum calendario“, quo etiam Bernenses vehementissime castigati erant; iam incitatis animis perlectae sunt septem pagorum litterae. Responsum Lucernensibus, [3]) nullo pacto se passuros, ut quidquam cum suis praefecturis agerent. Ad Friburgenses et Salodurenses quaterni legati bini senatores, bini cives — missi sunt, qui ut sibi satisfacerent expostularent. [4]) Quid responsi acceperint nescio.

Res domesticas quoque reformationis amici aliquanto gravius paullatim ac vehementius administrare coeperunt. Inde ab exeunte nov. 1526 Aquileiae versabatur Guilelmus Farellus, tumultuosus ille et impetuosus reformationis defensor. Qui quamquam laicus homo faciendis sermonibus novae doctrinae auctoritatem addere studuit, satis prospero eventu, quantumvis resisterent clerici. [5]) Senatus, cum initio sermones eum instituere vetuisset, [6]) iam liberam dedit eius rei facultatem. [7])

---

1) 1. mart. St. 423. — 2) Ibid. 48. — 3) Ibid. 179.

4) Stuerl. p. 180.

5) Farel ad Zw. 9. iun. Papa aut nullus aut modicus hic est. (?)

6) 22. febr. R. RM. — 7) 8. mart. R. St. 48.

Hallero quoque iamdudum desideranti, nt collega sibi adiungeretur, tandem satisfactum est: 4. apr. Francisco Kolb a maiori senatu permissum est conciones habere.[1]) Confestim vehementissimus ille homo coram pleno senatu quae de eucharistia sentiret professus,[2]) etiam Hallerus, modestissime tamen, ex suggestu sententiam protulit. Nihilominus etiamtum in diversas partes Bernensium consilia vergebant. Maior senatus 13. mart. denuo sanxit, ne tolleretur iuramentum pentecostes nisi cum ditionis consensu, simul vero constituit, ut, quod de rebus ad fidem pertinentibus maior senatus decrevisset, id Bernenses omnes necnon minorem partem, quae tali decreto obstitisset, teneret.[3]) Clerici modo propter veteris, modo propter novae doctrinae favorem multati sunt: Parochus Rohrbacensis[4]) iussus est missam celebrare, decanus Thünensis[5]) multatus, quod evangelium contumelia affecisset, parochus contra Brittnaviensis[6]) propter omissum missae sacrificium praebenda privari periclitabatur.

Non amplius talia poterant tolerari. Cum iam 7. apr.[7]) senatus maior egisset de praefecturis denuo sententiam rogandis, 12. apr.[8]) in senatu minori diu multumque deliberatum est de diversis mandatis 13. iun. 1523 et 7. apr. 1525 editis. Cum de singulis huius articulis ageretur, po-

---

1) R&B. St. 49. Tribus diebus post decretum est, ne contra mandatum concionaretur. „Ist doch durch etlich der Burger gemeldet, dass er predigen mag II. Testamentis consonantia.“ St. 50.

2) Hall. ad Vad. 19. apr. „Negotium eucharistiae a Francisco coram senatu et ducentis confessum est, a me vero in suggestu, ea tamen modestia, ut nihil hinc tragediae vereamur.“

3) Stuerl 48.

4) R. ad praef. Wangensem 20. mart. St. 49.

5) Joh. Mannberger? St. ibid.

6) 5. apr. St. ib.

7) Stuerl 50.

8) Ibid.

stularunt reformationis amici, ut in articulo qui esset de sacramentis, pro

„dass wider die heiligen siben Sacrament, wie dann dieselben von Christo, unserm Behalter, ouch us sinem Wort von der heiligen christenlichen Kilchen ufgesetzt sind, Niemands darwider ützit reden“ etc. poneretur:

„by den h. Sacramenten, die Christus, unser Lerer und Heiland, ingesetzt, die mit heiliger göttlicher Schrift nüws und altes Testaments erhalten mögen werden, ze beliben.“ Adversa pars strenue veterem formam defendit. Se paratos esse declararunt ad renovandum mandatum primum, sed ea conditione, ne missa et veteris ecclesiae caerimoniae tollerentur neve contra eas concionari liceret. Cum senatores discordarent, ad maiorem senatum res relata est, qui postero die decrevit, ut salvo ditionis consensu mandatum primum renovaretur, ne vero sine publica auctoritate de rebus sacris quidquam novi fieret. Coërcendae praedicationis non facta est mentio. [1])

Appropinquabant cum tempore paschali annuae electiones. Quibus egregie reformatoriae partes usi sunt, ut inimicorum conatus infringerent. In Coena Domini [2]) a senatu et sexaginta constitutum est, ut, qui libidinose viverent, senatu moverentur.

Quo decreto Seb. a Stein senatu motus est. [3]) Sed maiora consilia secuta sunt. Altero die paschae, quae anno

1) Stuerl. 52. Cf. Hall. ad Vad. 19. apr. „Deinde non te latet mandatum hoc partim pium, partim impium, quod Magnifici nostrates Anno susperiori iuramento firmaverant; hoc nunc abrogandum decreverunt, et primum olim chalcographorum typis invulgatum, in illius locum acceptarunt, ea tamen conditione, t tum totius ditionis consensus adsit, tum ut privata auctoritate nemo quippiam immutare praesumat.“

2) 18. apr. RM.

3) R. ad Seb. a Stein. 22. apr. RM. — Hall. ad Zw. 25. apr. — Ans. cont. m. s. p. 109.

priori temptata erant, perfecta sunt: Decrevit maior senatus, ut pandareti et sedecim in senatum minorem eligendos designarent, sed maiori senatui et reiicere designatos et novos adscribere liceret. [1]) Sic Selsach et Ruewer senatu moti sunt; quo facilius pelleretur C. a Muelinen, homo insignis et auctoritate pollens, constitutum est, ne quis in senatu sederet, nisi qui in urbe natus esset. Inter cives tamen ille locum retinuit. Ex maiori senatu sex reformationi parum amici pulsi sunt. [2]) Joh. ab Erlach consul munus retinuit, sed qui in Stuerleri locum suffectus est pandaretus, Joh. Bischoff, a reformatione stabat. Novi adscripti sunt senatui Urb. Baumgartner, W. a Diesbach et Jac. Wagner Heimlicher a civibus. [3]) Postremus certe fortis erat reformationis defensor.

Ad exitum venerat controversia. Quamquam post paucos dies iterum catholica factio vires collegit, et eius auctoritate factum esse crediderim, ut, cum 13. apr. iam esset decretum, post tres demum hebdomadas praefecturae sententiam rogarentur. Immo auctoribus septem pagis postulatum est a quibusdam, ut, quae 13. apr. decreta essent, infringerentur. Sed reiecta ea rogatio 3. mai., [4]) et statim maior senatus per litteras praefecturas omnes certis diebus convenire iussit, ut quae sibi a legatis urbanis nunciarentur audirent. Post-

1) 22. apr. RM. R&B. „Die satzung der erwellung des kleinen Rhats ist abgethan.“ 23. apr. R&B. „haben min Herrn gemeinlich den Eyd der Vänner und Sechszehner geschworen. Der klein Rat gesetzt mit merer Hand, vff erwellung der Vänner & 16. Hall. ad Zw. 25. apr. „Nunc ablata est illis (Pandaretis et 16) potestas, et concio universa civium Senatum deligit.“

2) Cf. RM, Osterb. Ans. cont. m. s., Hall. ad Zw. 25. apr., ad Vadian. eod. d., ad Ans. die Mart. a. Ascens. Chr. (ap. Stettler I, 668), Zw. ad Vadian. 11. mai.

3) Ans. cont. p. 268, a. a. 1528: „ein wolverstendiger evangelischer hantuester Rathsherr Jacob Wagner.“

4) R&B. Stuerl. 53.

quam legati cum praefectis abiissent, deliberarent praefecturae de ecclesiae controversia, et, quae maiori parti accepta forent, consignatis litteris mitterent in urbem. Acriter in maioris senatus litteris septem pagorum consilia reprehensa et praefecturae cum eis iniussu magistratus agere vetitae sunt. [1]) Paucos post dies constitutum est, ut clerici a deliberationibus abstinerent. [2])

Multis tempestatibus ante relata responsa respublica agitabatur. Cum anabaptistis nova Hallerus habebat negotia. Quorum tunc principes exstiterunt Jac. Hochruetiner denuo in urbem reversus et Joh. Seckler Basileensis. Neque imperiti solum vel impetuosi, sed magni ingenii quoque homines, quales fuere Grebel et Manz Turicenses, isti in Helvetia sectae adstipulabantur. Bernae luculentis praesertim orationibus, „dicaritate,“ ut ait Hallerus, multum valebant, et brevi tempore magnopere auctus est eorum numerus. [3]) Cum Hallerus et Kolbius nequidquam cum eis diputassent, perquisitae sunt per pandaretos eorum domus et aliquot libri concionatoribus traditi, de quibus sententiam ferrent. Miserunt Zwinglio, qui longa composita Anabaptistarum refutatione respondit. [4]) Non inconsulte Hallerum aggressi sunt: Ostendebant, quanta iam nunc inter ipsos reformationis auctores et de fide et de cultu intercederet discordia, [5]) in Hallero maxime reprehendebant, quod post conciones etiam anniversaria pronunciaret, cum tamen purgatorium esse negaret. [6])

---

1) Stuerl. 185.

2) 9. mai. R. „Haben min herrn geraten, dass die Pfaffen an den Gemeinden nit ratslagen söllen.“ Stuerl. 54.

3) Hall. ad Zw. 25. apr. — 4) Zw. ad Hall. et Kolb. 28. apr.

5) Kolb. ad Zw. 5. mai. „Nihil enim nobis sic in via est et verbo Dei sic impedimento est, quam quod nec in verbo conveniamus animo intus, nec in ceremoniis opere foris.“

6) Hall ad Zw. 16. mai. „Reprehendunt unice in me, quod addo concionibus 5 anniversariorum declamationem.“ Tradit Kirchhofer p. 90: „Obschon sie an Haller nichts zu tadeln fanden, als dass er“ etc. Sed unice non est „einzig,“ sed „vor allem.“

Ipse Hallerus, ne qui conspectus fieret aut sermo, se id fecisse fatetur. Consuluit Zwinglium, qui eum anniversaria omittere, quam primum fieri posset, iussit.[1]) Magistratus rem paucis absolvit: Seckler et Hochruetiner ad palum deligati sunt et urbe pulsi,[2]) constitutumque, ut post legatorum, qui in praefecturas abiissent, reditum concionatores eos a sententia avocare temptarent.[3])

Inter Helvetios crevit discordia et odium: Utraque pars ab altera deterrima quaeque exspectabat. Quattuor pagi silvani cum Tugio, quamquam se ipsos dubitare adiicientes, 15. apr. nunciarunt Bernensibus, Turicenses cum Constantiensibus Thurgoviam invasuros.[4]) Sed datis ad Turicenses litteris Berna se diffidere declaravit.[5]) Iam vero ab altera parte famae etiam incredibiliores circumferebantur. Nunciavit Berna 6. mai. Turicensibus de foedere Ferdinandum inter, Austriae regem, et septem pagos facto. Quos, ni in proximis comitiis Turicenses rogationibus suis cederent, belli initium facturos, Ferdinandum vero cum 130,000 hominum exercitu auxilio venturum.[6]) Quamquam se ipsos dubitare adiecerunt, iusserunt tamen Turicenses exploratores circummittere, Basileam quoque, Scaphusiam, Rotwylam, Muehlhusiam de ingenti isto negotio fecerunt certiores. Simul iussus est Seb. a Stein[7]) in comitiis Eremitanis Helvetiorum legatos de belli consiliis interrogare novaque comitia 18. mai. Badenae habenda indicere. Lucernae contra Bernenses bellum moliri fama erat, sed statim multatus est auctor.[8])

Eremi septem pagorum legati rogarerunt Seb. a Stein,

---

1) Zw. fratribus Bernensibus 22. mai.

2) 1. mai. Stuerl. 53.

3) Qui fuerit eventus, nescio. Kirchhofer p. 91 revocasse Anabaptistas dicit.

4) Stuerl. 426.

5) Ibid. 182.

6) TMB. — 7) Stuerl. 189.

8) B. ad Lucern. 15. mai. TBM.

ut per litteras comitia Badensia indicenda curaret, quoniam ipsi non in tempore domum venirent.[1] Quod cum a Bernensibus negligeretur, comitia ista non facta sunt. In proximis tamen legatus Bernensis decantata et trita illa repetiit, et quod septem pagi Badenam non misissent legatos conquestus est. Sed egregium ei responsum datum.

Aliis quoque rebus perfecta Bernensium a septem pagis abalienatio cognita est. Cum acta disputationis tandem prela reliquissent, Lucernenses Bernam [2]) Basileamque precibus adierunt, ut duos notarios, qui in disputatione Badensi ab Oecolampadio stetissent, Lucernam mitterent examinaturos, num excusa cum exemplaribus congruerent. Basileenses cum de ea re Bernates interrogarent[3]), tulerunt responsum[4]), quoniam nullam actorum excudendorum habuissent partem, non se intelligere, cur tandem excusa cum actis conferrent. Sic frustra laboraverant septem pagi, ut actis tam saepe impugnatis ius redderetur. 25. mai[5]) praefecturarum responsa coram maiori senatu perlecta sunt. Pauca ultra dimidium[6]) renovandum mandatum primum censuere. Apertum quoque erat, ignorare multos, quantum eiusmodi consilium valeret, quantum interesset inter edicta 15. iun. 1523 et 7. apr. 1525 — quod 21. mai. 1526 confirmatum erat, — cum hoc tamen reformatio tolleretur, illo contra adiuvaretur nova doctrina, toleraretur vetus. Luculentissimum exemplum praebet praefecturae Aeschi responsum, quo utrum-

---

1) Abschied Luzern, 28. mai St. 308. Zw. ad Vad. 11. mai. „Nugae circumferuntur, Ferdinando adventurum esse ingentem ex Hispaniis exercitum; ea sic magnificantur ab eis, quorum salus omnis est in mendacio, ut comitia indixerint ad Thermas.“ Opinari videtur, a pagis catholicis ineptias illas profectas esse.

2) 4. mai. KA II.

3) 7. mai ibid.

4) TMB, Q 202 b. cf. Zw. ad Hall. et Kolbium 28. apr. — 5) R&B, Stuerl. 54. — 6) 19. Extant responsa 33 apud Stuerl. 428—469.

que mandatum postulatum est. Konolfingen et Sternenberg iuxta mandatum primum missam retinendam esse censuere, Niedersimmenthal, Spiez, Ringenberg petierunt, ut evangelii fieret praedicatio, nulla mandatorum facta mentione. Oberhaslenses, quorum tam accurata et praecisa priora responsa fuerant, hoc solum rogarunt, ut bellis alienisque stipendiis finis imponeretur, quibus alia quoque responsa intercesserunt. Zofingen et Aarau magistratui permiserunt rem diiudicandam, praefecturae sex — Frutigen, Obersimmenthal, Huttwyl, Lenzburg, Aarburg, Brugg — cum iisque Saanen, civitas foederata, hortatae sunt, ut postremum mandatum retineretur. Eadem responderunt Burgdorfienses sed rustici imperio eorum subiecti in contrarias sententias abierant. Cum igitur vix media pars in ipsius sententiam respondisset, decrevit maior senatus, ut 13. apr. de recuperando mandato primo decreta rata essent et concionatoribus quoque contra veterem ecclesiam disputare liceret,[1]) sed denuo sanctum est, ut usque ad nova magistratus decreta omnia in statu suo permanerent. Constitutum porro, ne quis propter violatum iuramentum, quod 21. mai. datum erat, periurum magistratum appellaret.

Sic iusiurandum illud, quod palladii instar habuerant catholicae partes, de quo accepto adeo triumphaverant septem pagi, sublatum est.

Licet recuperato mandato primo, recuperata praedicationis libertate summum illud reformatorum, quo nisi inde ab initio veteri ecclesiae se opposuerant, valeret, licet triumpharet Hallerus,[2]) „liberatam esse Bernam ex captivitate sua plusquam papistica," multum tamen aberat, quominus Bernenses omnia, quae ex isto principio sequerentur, exsequi possent.

---

1) „Ungehindert, dass auch die Prädicanten predigten, dass man Sölichs wohl möchte abthun." Stuerl. 55.

2) Hall. ad Vadian. 3. iul.

Quamquam qui in urbe erant reformationis amici satis bene habebant perspectum, quid sibi expetendum foret, sed in agris adhuc nimis magnum erat rerum novarum odium, quin uno decreto tota controversia componeretur. Sic iuxta primum mandatum illa quoque valebant, quae de missa et coniugio clericorum postea constituta erant, nec minus mandata quam consilia magistratus in diversas abibant partes. Exeunte iun.[1]) senatus sciscitatus est de parocho Rohrbacensi, qui a missa celebranda destitisset. Qui licet suorum suffragiis adiutus[2]) praebendam amisit, sed diutius praedicandi venia ei concessa est. [3]) Simili ratione alii sacerdotes missam facere iussi sunt. [4]) Farello contra constitutum est munus praedicandi et reprehensus gubernator Aquileiensis, quod in ea re negotia Farello facesseret. [5]) Litigabant in agris rustici cum parochis,[6]) neque ab urbe propter inquietam temporum conditionem turbae aberant. Cum duce Sabaudiae propter foedus cum Geneva factum Bernenses continuam exercebant controversiam, altera post altera diiudicandae caussae comitia indicta sunt. Cum summa Halleri indignatione, cuius sermones vicit vis auri Francogallorum, cessum est ab Helvetiis, Bernensibus quoque, Francisci primi rogationi, ut 10,000 mercenariorum militum sibi darentur. Iam tunc ex habenda disputatione discordiarum finem fore Hallerus speravit.[7])

Gravius in rebus internis consilium iniit magistratus, cum coenobiis liberam suorum administrationem adimere

---

1) 30. iun. St. 56. — 2) 15. iul. RM. — 3) 19. iul. RM. R&B. 4) St. 56. — 5) 3. iul. R&B. St. 56. 194. — 6) Hall. ad Vad. 3. iul. „Digladiantur continuo rustici cum pastoribus super negotio verbi."

7) Hall. ad Vad. 3. iul. „Ad interim gaudentibus et ridentibus nobis Sathan sic nostrates circumvenit, ut iam nunc sanguinem sitiant alienum. Veloces autem reddidit aurum liligerum pedes ad effundendum sanguinem. Turbatur mirum in modum proculdubio respublica christiana. — Ea res omnis mihi eo vergere videtur, ut communem omnium Bernatum pastorum collationem, Tigurinorum more, observemus."

conaretur. Clericos regulares in odio esse Bernae iam multae demonstraverant occasiones. Non semel constituerant Bernates, ne monachis praebendae extra coenobia darentur, nec semel reprehensi sunt abbates, quod collationis iure in monachorum favorem uterentur. Iam antea violatis privilegiis odiosum illud vectigal coenobiis impositum erat, quod appellabatur Böspfennig, iam vero maiora Bernenses moliti sunt. Decretum est enim 28. iul. ut singuli singulis in urbe et agris coenobiis praefecti imponerentur, qui de administrandis coenobiorum bonis quotannis senatui maiori rationem redderent. [1] Monasteria enim, si senatus maioris querimonias sequimur, bona sua profundebant negligenti administratione et pecuniis extra ditionem Bernensem mittendis. Praefectis vel puniendi negligentes monachos facultas data, itaque etiam disciplinae monasterialis pars quaedam in eos collata est. Constitutum praeterea, ne novi monachi, nisi indigenae, in coenobia reciperentur, nisi expresse id magistratus permississet. Sed praeter spem frustratum ex parte est id consilium. Simulatque praefecti iussi sunt coenobiorum proventus in tabellas redactos Bernam mittere, [2] undique querimoniae vehementes exortae sunt. Iam 14. aug. [3] senatus maior promittere coactus est, se monasterium S. Johannis prope Erlach situm in priori statu relicturum; duos post dies legati venerunt, qui pro coenobio Interlacensi se interponerent; praeter ipsius coenobii homines etiam omnium fere praefecturarum montanarum legati aderant. Cesserunt patres. [4] Quamquam abbas monasterii S. Petri in Nigra Silva positi repulsam tulit, cum de praepositura Herzogenbuchsee, cuius ipse iura quaedam teneret, expostula-

---

1) Stuerl. 56. R&B. 4. aug. praefecti ex civium numero constituti sunt. Qui extat apud Anselmum index paullum diversus est ab eo qui est apud Stuerl. 57. Ans. c. m. s. p. 50: „vnd sind diss von den Burgern die ersten vögt gewesen, deren keiner arm worden.“

2) 8. aug. R. St. 58. — 3) Ibid. — 4) 16. aug. R&B. St. 59. 196.

ret; [1]) sed die sequenti novi venerunt ex aliis praefecturis legati pro monasteriis aliis se interposituri. His quoque cessit senatus maior suaque ipse decreta irrita reddere coactus est. [2]) Maiorem ditionis partem reformationi favere nimiam fiduciam habuerat, et paucis diebus post iterum opinio eum fefellit. Clericorum multi, episcopis se opponere iussi a magistratu et nonnunquam coacti, de abroganda missa et tollendo coelibatu cogitabant. Itaque cum capituli ruralis sodalibus deliberavit parochus Surensis de petitione Bernam mittenda. Quibus mirum id sibi videri senatus perscripsit, immo quaestionem instituit. [3]) Nihilominus paullo post supplex clericorum quorundam libellus allatus et in senatu lectus est. [4]) Confestim Hallerus Zwinglium de ea re certiorem fecit seque sperare ostendit, ad cives rem delatum iri. [5]) Qui, postero die convocati, paratos se esse ostenderunt [6]) ad coniugia clericorum permittenda poenasque abrogandas, non vero id ratum fore, priusquam praefecturae se consentire declarassent. De forma litterarum ad eas perscribendarum acris controversia exorta est. Postulavit pars minor, ut non solum maioris partis decretum, sed ipsorum quoque sententia, clericorum rogationi adversa, ad praefecturas perscriberetur. Neque id parvi momenti fuisse dices, si, quantum apud rusticorum multos magistratus valuerit auctoritas, consideraveris. Sed reiecta est ea rogatio, neque repetita dinumeratione, quae auctore Huebsche quaestore habita est, aliud quidquam effectum. 12. sept. dies indictae sunt, [7]) quibus praefecturae convenirent, et litterae ex maioris partis sententia conscriptae, [8])

1) 20. aug. TMB.
2) 21. aug. R & B. St. 59.
3) 28. aug. St. 197.
4) 5. sept. R. St. 60. 472.
5) Hall. ad Zw. 4. sept.
6) 6. sept. R & B St. 61.
7) 12. sept. TMB.
8) 14. sept. Stuerl. 62 R & B. cf 198.

quae per legatos ad eas deferrentur. Nihilominus reformatoriae partes spe exciderunt. Ex eorum quae supersunt responsorum numero — 29 — non minus 16 coniugio clericis permittendo intercesserunt, non ultra 8 cedendum rogationi respondere, quae reliqua sunt 5 nil certi constituerunt. [1]) Egregium id documentum, non ex veteris doctrinae odio priora responsa profecta esse, sed maiorem praefecturarum partem etiamtum veterem fidem retinuisse. Itaque maior senatus 4. oct. [2]) iterum clericos uxores ducere vetuit; etiam atque etiam praefecti diligentissime id decretum exsequi iussi sunt. [3]) Missae quoque habendae officium permansit, aegreque parochus Langnaviensis obtulit, ut sibi senatus „von frid vnd ruwen wegen" omittere missam concederet. [4])

Nihilominus non amplius retardari potuit reformationis successus. Maioris senatus, licet postremis responsis aliquantulum in angustias perducti, nimis magna tamen erat in urbe auctoritas, quin appropinquare victoriam confidere posset. Ad exitum vergebant omnia, multos odium ceperat perpetuae dubitationis, quietem pacemque desiderabant omnes. [5]) Quotiescunque commode fieri potuit, reformatoriae partes adiutae sunt: Georgio Brunner [6]) permissum est, ut in ditionem Bernensem rediret, Kuttler [7]) pandaretus, cum rusticos Emmenthalenses reformationi faventes contumeliis affecisset, revocare coactus est, Guldimund, praefectus Trachselwaldensis, [8]) propter contumelias in Kolbium congestas usque ad paschale tempus loco suo motus. Iam rerum ipsarum eventus magistratus consilia praeoccupavere: Plures vici conni-

1) Responsa ap. St. 478—509.

2) R&B. Stuerl. 64. 202.

3) Stuerl. 65. 204.

4) 31. oct. R. St. 66. — cf. RM. 25. oct. et St. 509. 28. oct. Etiam mense nov. P. Kunz se uxorem duxisse dissimulat. Cf. Hall. ad Zw. 4. nov. 5) Hall. ad Zw. 4. sept. — 6) 30. sept. R&B. TMB.

7) St. 66. cf. Hall. ad Zw. 4. nov. „oligarchorum unus".

8) 7. nov. R&B. St. 67.

vente senatu [1]) a missa destiterunt, sex collegia ineunte nov. communes missas, anniversaria, patrocinia abrogaverunt, sodalibusque, qui ea re non contenti essent, mandatum est, ut suis impensis missas celebrandas curarent; [2]) brevi tempore post pauca collegia veterem morem retinebant; [3]) coenam Domini Tigurinorum more instituere Hallerus distulit, ut uno impetu veterem cultum infringeret et prohiberet, quominus iuxta coenam missae quoque fieri possent. A Zwinglio ita agere iussus erat, qui in simili temporum statu Turici simili ratione usus erat. [4]) Iam vero ad vetera prorsus abroganda Bernenses accingebantur.

Per plures menses septem pagi, frustra omnes suos conatus suscipi rati, rebus Bernensibus non amplius se immiscuerant. Controversiam, quae etiam anno 1527 de caussa Ittingensi erat, Bernates usque ad finem studuerant componere, [5]) itemque, cum Muehlhusia, civitas foederata, cum Austria rixas exerceret, et septem pagi, quod novis rebus Muehlhusia studeret, se removerent, Bernates se auctoritatem suam interposituros esse polliciti sunt. [6]) 14. aug. [7]) St. Gallensium et Bernensium legati Turici deliberarunt de pactione contra Anabaptistarum studia facienda. Senatus maior 5. sept. [8]) accedere decrevit, id vero sibi excepit, ut multas pactione illa constitutas ex voluntate mutare sibi liceret. [9])

Iam vero Zwinglii ingenium de firmiori inter Turicum et Bernam societate iungenda cogitababat. Iam diu in animo eius consilium illud versabatur, ut reformatarum ur-

---

1) Hall. ad Zw. 4. nov..
2) Ibid. — 3) Id. ad eund. 13. nov.
4) Zw. ad Hall. et Kolb. 11. oct.
5) Bern. ad Tur. 10. iul. T M B.
6) RM. 19. aug. cf. RM. 17. aug.
7) St. 311.
8) 5. sept. R&B. St. 60.
9) 6. sept. St 311.

bium foedere — Civitatem Christianam eam appellabat — quae in ecclesia novata essent, stabilirentur. Litteris Graeco sermone ad Ambr. Blaurerum datis quae in eo negotio perficiendo iam Constantiae, Basileae, St. Galli, Bernae denique laborasset, ostendit. [1]) Quae Bernae de ea re acta sint, singula persequi non possumus, certe Turicensium legatio, quae ineunte nov. Bernae erat, in exsequendis Zwinglii consiliis versata est, [2]) satis prosperó, ut mox videbimus, successu.

Anno 1527 ad finem vergente reformatoriae partes temporis esse censebant consilium inire, quod perficiendum 4. oct, [3]) eodem die, quo denuo clericis coniugio interdictum est, dilatum erat. Decrevit 4. nov. [4]) senatus, ut de ecclesiae discordia disputatio Bernae fieret, et tribus diebus post in eandem, sententiam cives descenderunt. [5]) Iam primi apparatus, quid maior senatus ex ea exspectaret, ostendere: Episcopi quattuor litteris haud ita amicis aut ipsi venire aut doctos mittere homines iussi sunt; quod nisi facerent, omnis eorum in ditionem Bernensem iurisdictionis finem fore. Constitutum est, ut clerici Bernenses, qui non in disputationem venissent, praebendas amitterent, ut per pandaretos omnium collegiorum sodales iuramento obstringerentur, se quaecumque in disputatione decreta forent, accepturos, ut una ac sola disputationis norma essent sacrae scripturae. Invitatae sunt praeter cunctos Helvetiorum pagos civitates foederatae omnes.

Ne tunc quidem aberant catholicarum partium machinationes, quibus praeter plures senatores insignissi-

---

1) Zw. ad Amb. Blaurer. 14. aug. 1527.

2) Hall. ad Zw. 4. nov.

3) St. 64.

4) R. St. 68.

5) R&B. St. 69. cf. 204.

mos consul quoque adstibulabatur. [1]) Omnino prohiberi — quod certe libentissimo animo fecissent — disputatio non amplius potuit, itaque duo consilia restabant, quae oligarchi sequerentur: Si soli Bernensis ditionis homines invitarentur, timebat Hallerus ne catholicae factionis studiis efficeretur, ut advocatis praefecturarum procuratoribus confirmaretur missa et similia atque in festo pentecostes 1526 evenirent. Si adscitis episcopis externisque clericis communis totius Helvetiae fieret disputatio, ne oligarchi facto cum episcopis consensu disputationem irritam redderent. [2]) Et profecto oligarchorum studiis factum esse dicitur, ut invitarentur episcopi [3]) Sed inanem Halleri timorem fuisse apparuit. Nam praeter negligentiam aut imprudentissima consilia nil ab adversa parte temptatum invenies.

Fide publica data Murnerus Lucernensis, Laeubli praepositus Friburgensis [4]) — qui olim Bernae collegii canonicorum decanus fuerat — et Dr. Treyer, [5]) augustinorum ordinis in eadem urbe provincialis, invitati erant. Nemo eorum venit nisi postremus, qui non sine laude disputationi

---

1) Hall. ad. Zw. 19. nov. „Wisse auch, dass unser Stadt Caput ab Erlach dem Evangelischen Handel ganz widrig ist."

2) Hall. ad Zw. 26. nov., cf. 4. nov. 19. nov. 2.dec 20. dec. cf. Zw. ad Oecol. 15. dec.

3) „Effecerant enim fidi nobis servatores Bernae, et ii certe, apud quos hactenus summa rerum fuit, ut et Episcopi, quibus est Ecclesiae in illorum ditione iurisdictio, additis etiam minis, ad suam disputationem vocarentur." Epistola Jacobi Monasteriensis, sacrificuli Solodurensis, ad clarissimum Ictum Dom. Sigismundum de S. Trudone Canonicum etc. Pluribus locis ea epistola prelis excusa est, in Sculteti ann. II, 136, ap. Kuhnium p. 365 et al. l. Brevis est ea disputationis narratio, cuius auctor se ipsum interfuisse dicit. Sed ut alia omittamus, iam ea caussa commotus nescio an non adulterina epistola sit, quod in eorum, qui disputationi interfuerunt indice (ap Stuerl. 541 — 553) „Jacobus" ille inveniri non potest.

4) 18. dec. TMB.

5) St. 238. 5. ian. 28.

interfuit. Pagi catholici initio ne respondisse quidem videntur exceptis Suitensibus, qui 6. dec. dubium dederunt responsum.[1] Renuerunt Rothwylenses, sed se eis, qui ad disputationem proficiscerentur, tutum daturos commeatum polliciti sunt.[2] Georgius Neudorf, fratrum praedicatorum Rothwylae prior, legato Bernensi contumeliosum dedit libellum; de quo irati Bernenses cum ipsum quoque ad disputationem venire iuberent, repulsam tulerunt.[3] Saanenses, quorum agros reformatio ne attigerat quidem, non sibi doctos esse homines responderunt, quod, qui erat terrae in remotis montibus situs, verum fuisse crediderim.[4] Episcopi quoque Sedunensis, Basileensis, Constantiensis non ita ad tempus dato responso disputationem repudiarunt:[5] Iam vocationum sermo agrestis deterrere eos potuit. Episcopus Lausannensis exeunte dec.[6] alteras accepit litteras prorsus illiberales. Tum demum iam se in via fuisse, sed equo deiectum graviter esse vulneratum respondit. Doctos contra homines usque ad ditionis Bernensis limites se missurum promisit, quibuscum eorum concionatores colloquerentur.[7] Sed tertiis eiusdem farinae litteris[8] commotus doctores quosdam in disputationem direxit, qui, cum sermone Germanico disputatio fieret, ne unum quidem verbum intellexerunt. Qui cum ante finitam disputationem Bernam reliquissent, denuo datis et acceptis litteris non ad maiorem comitatem descenderunt Bernates.

Eo maiori adversa pars diligentia usa est. Libentis-

---

1) KA. II.

2) Ib. 9. dec.

3) Bern. ad Rothwyl. 18. dec. St. 71. Responderunt Rothwyli 24. dec. KA. II. cf. Hall. ad Zw. 20. dec.

4) 26. dec. St. 521.

5) St. 511. 525. 12. dec. 31. dec. 1 ian. 1528.

6) R ad episc. 23. dec. St. 219.

7) Seb. de Montefalcone ad Bern. 4. ian, St. 534.

8) 5. ian. St. 236.

sime Turicenses „consilium" — den Rathschlag — disputationis et theses ab Hallero et Kolbio propositas excudendas suscepere, Zwinglium Bernam proficiscentem non minus 62 clerici Turicenses comitati sunt. Annuerunt pagi ad reformationem vergentes omnes: Basilea venerunt cum alii tum Oecolampadius, ex Grisonia Comander concionator Curiensis, vel ab Ulmensibus et Memmingensibus venerunt legati. Tanta praesente turba reformatoriae partes iam ante initum certamen fuere victrices, catholicae contra caussam suam ipsae tradiderunt, ita ut ludum potius quam disputationem istam vocares.

Petierant a Friburgo et Saloduro Bernates, ut scribas publicos Bernam mitterent in conscribendis actis notariorum officio functuros. Salodurum cessit rogationi,[1] Friburgum post dubium initio responsum datum [2]) eam reiecit.[3]

Caeteri pagi catholici non solum recusaverunt disputationem, sed consilium quoque inierunt, quo etiam magis Bernensium animi incitati sunt. Septem pagorum, praeter eos Glaronensium legati Lucernam congregati 18. dec. longas ad Bernates direxerunt litteras;[4] reiectae sunt Bernensium preces, ut omnibus qui ad disputationem irent tutus daretur commeatus; expostulatum, ut nomina darentur eorum, qui commeatu uterentur, non enim se illis hominibus — Zwinglium nimirum spectabant — se publicam fidem interpositturos, qui cum Badenae fieret disputatio, non solum sprevissent eam, sed etiam publice contumeliis affecissent. Ardenter et vero animi studio, quot et quantas res secum cum summa Helvetiae gloria perfecissent, adhortati sunt: Quare hoc tribuerent amicitiae, ut desisterent a disputatione; simul vero — et hoc quidem erat ineptum — commonefecerunt

---

1) Salod. ad Bern. 14. dec. KA. II.

2) 13. dec. KA.

3) 21. dec. KA.

4) Octo pagorum legati ad Bern. St. 515.

eos iuramenti et, ut praefecturae convocarentur, expostulaverunt. Oleum nimirum addebant camino!

Bernenses, postquam iam 20. dec. de comitiis illis cum Friburgo et Saloduro conquesti sunt,[1]) 27. Dec.[2]) vehementissima epistola responderunt. Eodem die quaterni legati ad eos missi, qui, ni rogationibus satisfieret, minaces traderent litteras.[3]) In comitia Lucernensia ab octo pagis indicta nemo legatus abiit [4]) Ultimo die anni 1527[5]) redierunt legati: Salodurensium responso, qui omnino non ita fortiter in catholicorum negotiis versati esse videntur, contentum se esse maior senatus ostendit, sed ad Friburgenses novae acerbaeque litterae datae sunt, quibus, ni statim daretur tutus commeatus, postularetur, ut communia dominia dividerentur, immo solveretur angustius illud quod Friburgenses inter et Bernates intercedebat foedus. 4. ian. 1528[6]) utriusque urbis legati Bernam venere. Salodurensium nuntiis Bernates prorsus placati sunt, Friburgenses contra disputatione violari foedera Helvetica conquesti sunt, quibus vetus fides tuenda contineretur. Tum extrema dicta est eis sententia.[7])

Frustra imperator quoque datis ad Bernenses 28. dec. 1527[8]) litteris prohibere disputationem tentavit. Senatus, qui non ante 6. ian. 1528 litteras accepit, statim respondit[9],) et incepisse disputationem nec restituendam fidei unitatem longiorem moram pati. Eodem die cum Constantiensibus pro nova doctrina conservanda foedus factum est,[10]) eodem disputatio haberi coepta.

---

1) R ad Frib. et Salod. St. 219.

2) R&B. ad octo pagos St. 224—232. — 3) Ib. 222.

4) 27 dec. R&B. St. 72.

5) Ibid. 72. 232

6) St. 73. — 7) St 254.

8) St. 523. 9) R&B. ad imp. 6. ian. St 239.

10) R&B. St. 74. 318. Iam 25. dec. 1527 Turicenses cum Constantiensibus foedus fecerant.

Haudquaquam disputatio reformationi Bernensi momentum attulit. Neque enim, cum in pinnis infiguntur hostium signa, tum demum expugnatam esse urbem dices. Quamvis q u a e r i veritatem christianam, quamvis se medium esse neque utram secuturus esset partem cognitum habere magistratus fingeret, tamen eventum illum, qui factus est, et expectatum fuisse et necessarium nemo non videt. Cum in eiusdem et posterioris temporis colloquiis, quae dicuntur Germanicis utraque pars concedendo, quae ullo parto concedi possunt vel posse videntur, et speret fore concordiam et strenue in eo negotio versetur, disputationes Helveticae artificia sunt, quae a b a l t e r a f a c t i o n e apparantur, perficiuntur, in f a c t i o n i s usum convertuntur. Sic Turici actum est, sic Badenae, sic Bernae quoque. Disputatio Bernensis in eum finem suscepta est, ut, quae re vera iamdiu mutata erant, mutata omnibus ostenderentur, ut serveriora consilia a magistratu ineunda omnium comprobarentur iudicio, itaque per compendia efficeretur, ut dubii qui tunc esset rerum status, ut factionum, turbarum, mandatorum tandem fieret finis. Quamquam antea Bernates declaraverant, non extorqueri posse fidem, sed unicuique concedendum esse, ut crederet, quae grata et accepta ei forent. In eadem tamen civitate ut diversas permanere confessiones sinerent, ab ea temperantia istius temporis homines prorsus abhorrebant, quibus, in tanto rerum discrimine positis, non daretur quiete deliberandi temqus. Fortiter unoque impetu in urbe, in agris lentius ac lenius, non vero minus certo consilio Bernates veterem fidem exstirparunt. Etiamtum multi cum in urbe tum in praefecturis erant, qui vetera haberent in deliciis, et iam anno 1528 eorum studia prodierunt in lucem. Cum vero 2. febr. 1528 finita disputatione omnes urbis totius incolae iuramento confirmarent, se maiorem senatum, quaecunque ab eo decreta forent, adiuturos, neque ullis eius consiliis restituros, „da ward kein Sündrung gesehen. Aber wo di hertz, vnd fust, dem mund vnd fingeren glych werid ge-

wesen, so wer ein fromm Loblich Stadt Bern vil schmach, und so sorgklicher widerwertikeit uberhaept worden, das, wo der allmächtig Gott Ira nit sundren bystand gethan, Sy aigner mächt die nit hette mögen zu friden vnd einhellikeit bringen.“ (Ans. cont. 349.)

Vita.

Natus sum Hermannus Cardauns Coloniae anno h. s. XLVII, patre Alexandro, matre Sophia e gente Forst, quos adhuc superstites pio gratoque animo veneror. Fidem profiteor catholicam. Per annos octo in patria urbe duo frequentavi gymnasia, quae directoribus Ditges et Bigge etiamnunc florent. Auctumno a. h. s. LXIV a rectore magnifico Argelander, V. Ill. in hac alma universitate Bonnensi civium academicorum numero adscriptus sum, studiis cum philosophicis tum historicis operam navaturus. Inde post biennii spacium Monacum me contuli, unde post anni tempus reversus iterum Bonnae studiis dedi operam. Per quae septem semestria magistris usus sum V. V. Ill. hisce:

Bonnae: Brandis, Diez, Heimsoeth, Jahn, Kampschulte, Knoodt, Neuhaeuser, Reusch, Ritschl, Ritter, Schaefer, Simrock, de Sybel, Usener.

Monaci: Bach, Cornelius, Halm, Kluckhohn, Riehl.

Quibus omnibus de me bene meritis, praesertim V. V. Ill. Kampschulte, Schaefer, de Sybel, qui per quinque semestria cum seminario historicorum Bonnensium interessem insigni in me et liberalitate et comitate usi sunt gratias quam possum maximas ago.

Theses.

I. *Taciti verbis: „arva (Germani) per annos mutant, et superest ager" ille significatur agri colendi modus, quem nostra lingua vocamus „Dreifelderwirthschaft."*

II. *Hor. carm. IV, 3, 1. scribendum puto „simul" pro „semel."*

III. *Soph. Oed. Col. 702 scribendum videtur: „τὸ μέν τις οὔτε νεαρὸς οὔτε γηράς".*

IV. *Constitutio quae dicitur Leonis VIII. falsa est.*

V. *Falso opinatur Photius, a Zosimo, rerum Romanarum scriptore, alteram operis editionem institutam esse.*

VI. *Non a Carolo Martello, sed a Pippino filio eius ecclesiastica bona in rei publicae usum conversa sunt.*

VII. *„Quinque episcoporum sinodus" cuius in hist. l. IV. appendice Richerus mentionem facit, non diversa est a concilio Mosomensi.*

VIII. *Arnulfus archiepiscopus Remensis iniuste a synodo Remensi damnatus est.*

IX. *Institutio geographica in gymnasiis nostris nimis neglegitur.*